Nata dixerit, famulatur illis
A *Rite Garinus,*
O Dei Virgo genitrix Maria,
Quæ tot oſtentis ſpecioſa fulges
Montè-Serrato, pius oro, monſtra
Te mihi matrem.

Oppidi HALLENSIS IN HANNONIA, *qua Virginis Deiparæ cultum, & beneficia habet, Veneratio, Peregrinatio, & Miracula.*

Habet Italia, & Hiſpania plura loca evidentiſſimis miraculis à Deo per interceſſionem Matris unigeniti filii ſui nobilitate, & fidelium peregrinatione, religioneque celebria. Verùm propoſito noſtro, duo, quæ dedimus cæteris illuſtriora ſuffecerint. Neque ſanè unico etiam loco Belgium quamvis variis novarum Religionum, quas paucorum inſolens libido nuper effinxit, larvis, portentiſque fœdatum, ejuſdem Virginis patrocinia experitur, cùm infinitis propemodum hac etiam prærogativa decoretur. E multis duo proponemus celebriora hoc ævo, Hallas in Hannonia, qua Brabantiam tangit: & Aſpricollem in Brabantia ipſa, unico ab oppido Dieſtemio militari.
B Occaſionem cultus, venerationiſque locis his dederunt Imagines Deiparæ, ſive potius Deipara ipſa, in imagine venerationem, cultumque ſui beneficiorum largitione acceptans. De qua re eodem hoc Titulo egimus, Memb. v.

HALLÆ OPPIDUM, ET TEMPLUM.

Hallenſe oppidum verbo inſinuavimus, ſitum in finibus Hannoniç, qua Brabantiæ terminatur, tertio à Bruxella milliari; quòd quando conditum non conſtat: vetuſtatem tamen habet, cujus index Arx eſt, Dynaſtarum ejus tractus, olim domus aut Prætorium: in qua egiſſe ſæpiùs, atque etiam obiiſſe Philippus Audax dicitur, is, qui Flandriam cum Brabantia junxit. Etſi Froſſardus in oppido quidem. ſed in hoſpitio Cervi (nunc quoquo domus ibi, & inſigne) non autem in arce ſcripſit obiiſſe. Id fuit anno Chriſti ∞ CCCCIII. Eſt autem templum iu oppido, foro imminens, eleganti ſatis opere: cujus ala ingredientibus, ſiniſtra ſacellum habet, & Aram, ac ſuper eam Statuam hanc D. Virginis, de qua agimus, & agemus, quamque huc delatam anno M.CC.LXVII. ſupra tradidimus. Sacellum modicum eſt, ornatum è donariis, & tabulis votivis habet, religionem à ſe, & neſcio quomodo ingredientes ea tangit. Concurſum huc olim, & nunc undique, etiam à longinquis
C locis, & quàm latè propemodum Chriſtiani fines ſe tendunt. Quid mirum? Mira hoc effecerunt, quæ celebria, & vel aſſidua hic evenerunt, eveniuntque; quòd boni gaudeamus, & jactemus; improbi liveant, aut calumnientur. *Juſtus Lipſius lib. de miraculi B. Virg. Hallenſis.*

PEREGRINATIO, VOTA, ET MIRACULA.

Alexander Parmæ, & Placentiæ Dux, cui materna ab Auſtriacis origo, quinque munus Principis, & fortiſſimi Ducis vicem anno plures præ cæteris omnibus, qui hanc gubernatoris dignitatem detulerunt, in Belgio feliciter obivit. Sile enim livor, & vel mortuum hunc Camillum reverere, quidni ſic dicã? quem ille titulum variis victoriis, conſilio, & virtute partis meruit: in rebus afflictis, & Belgica non diviſa ſolùm, ſed in ſe armata. Ille magnam partem iterùm junxit, legitimo imperio ſubjunxit: & quia eventus tamen à Deo eſſe ſciebat, interpretem apud eum, & conciliatricem habuit hanc matrem. Sæpè huc commeare ſolitus, & vix aliter in expeditionem ullam ire, niſi precibus, votiſque ad aram ejus ritè pieque conceptis. Atque
D hoc in eo notabile, & laudabile: quòd ferè aut pedes iter totũ (rarum privatis, quid Principibus?) conficere, aut certè in ipſa via, ad primum conſpectum ſacræ turris, deſilire ex equo, & reliquum ſic peragere, teſtandæ venerationi, conſueverat. Dona porrò ejus ibi crebra, ſubmiſſa, aut oblata: ſed ferè ſtipes aut nummi fuerunt, oportuna ſolatia in arctis tunc rebus. Hoc ipſo laudandus, quòd beneficium dare, non famam parare voluit: & Deum notorem, ac muneratorem aſpexit.

Vir nobilis erat è terra Bavaria, Monachio oriundus, qui religione motus in Judæam, & loca Servatori noſtro calcata, & ſanguine ſacro reſperſa, ivit. Pervenit, & videbat; ſed in via cùm in navi, mari Jonio, ferretur, acer cum morbus invaſit, & ad extremas Fiat lineas admonuit. Nauticum genus ſatis aſperum, neque ægris, aut languidis amicum, hominem in imam carinam, & angulum aliquem navis detrudunt. Ingraveſcit ibi magis morbus, & jam in eo erat, ut deſperatus in mare abiiceretur, piſcium, & belluarum eſca. Senſit, & doluit alius è E
Belgica noſtra vir nobilis, in eandem navi vector; is ad hominem accedit, linguæ jam impotem, mentis vix compotem: ſolatur tamen, & erigit verbis, quà poteſt; & inter alia dicit, Divam Virginem Hallis coli, inſignem beneficiis, & velut publicam miſerorum tutelam: ſuadet, ut ad hanc aram confugiat, & quoniam lingua nuncupare preces, aut vota non poſſit, corde faciat: confidere ſe de præſenti auxilio, & ſalutate. Homo intelligit, arripit, etſi anteà fama nulla ejus patrocinii ad aures ejus veniſſet. Tamen à cordis penetrali ſuſpiria, & preces ad eam mittit: & ipſo tempore vidit agmen varium, & miſcellum Geniorum malorum ſuper navim volitare: & ſimul auguſta forma fœminam ante ſe ſtare, quæ prolem in brachio, & manu altera cereum ardentem præferret. Ea vix comparuit, cùm Genialis illa turba diſparuit: & hanc adorans, ac pacem, veniamque ab ea precatus; mox ſentit vires reſtitui, ſermonem, & valetudinem veterem redire. Quod ipſe gaviſus, alii mirati ſunt, in tam ſubita mutatione. Ac cùm deinde patriam attigiſſet, nihil priùs habuit, quàm ad Servatricem ſuam venire: quòd non ſine inſigni teſtimonio pietatis fecit. Nam ipſe, cùm famulo totum illud iter, quàm lata penè Germania eſt, nudipes confecit: iterùmque eò habitu repedavit. En religioſum in Bavaria pectus! neque nunc F
deſunt priſci, & puri illic cultores, præeuntibus Principibus, quos fulcrum, & exemplum appellare licèt avitæ pietatis. Accidit autem hoc anno 1442.

Comes fani S. Pauli, nobile, & notum nomen eſt in illa, & noſtra Gallia. Is, cum anno 1443. cùm bella fervèrent inter Anglos, Galloſque varia ſorte, & factionibus alita gangræna hæc mali, membra penè omnia florentiſſimi regni pervaderet: fors fuit, ut ipſe in arce Carteleria eſſet tractu Picardiç, illinc ad Delphinum iturus, qui Compendii agebat. Ecce præmittit manè (dies Sabbathi erat) metatorem ſuum coquum, & diſpenſatorem, ut parata omnia in diverſorio Compendii reperiret. At illi leviter progreſſi, hoſtium aliquam manum vident (ad LX. aut LXX. erant) qui in ſubjectis pratis pecudes rapiebant, agebantque, & ſi quid aliud in agris eſſet. Remeant igitur trepidi, domino nuntiaturi: & Hoſtes, & ad Arma, clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers invocat ſuos, arma, & equos expepirent, ſequerentur, ſi quis fidem, & ſe amaret. Simul ipſe in equum abit, aſſequitur: & unà cum ipſo fidus famulorum, Joannes Gertrudanus nomine, qui ſemiermis, ut feſtinatio erat, comitabatur. Idem aliquot alii, ſinguli aut bini advenientes: qui omnes tamen juncti vix octoginta, nec ab armis inſtructi ſatis erant. At hoſtes, G
qui in ſubſidio fuerant, jam conſpicui, & primis illis juncti, facilè ad mille quingentos accedebant. Joannes, quem dixi, advertit, & dominum iræ properum, & animi nimium, abire, & ſibi conſulere hortatur: nos, intereà, inquit, vilior manus propugnabimus, & tutum tibi receptum reddemus, Non movetur dominus, pugnat: ſed ante eum Joannes: cui ſtatim duplici ſagitta baliſtaria brachium traiicitur: & herum, cùm reſpicit iterùm moniturus, tertia collum ei tranſit. Tum denique, Domine, inquit, ò amor, ò fides! conſule tuæ vitæ: nam de mea quidem eſt actum. Et cum dicto ex equo delabitur: Comes, atque alii in vicinum oppidum fuga delati ſervantur. Sed Comitem mœror tetigit, amiſſo, ut putabat, tam fido miniſtro: ſed quem Dei, & Divæ benignitas incolumem, præter opinionem, & penè fidem, reddidit. Nam dum ibi jacet inter vivos, equoſque, Diva Hallenſis ei in mente, atque ore eſt, & quæ tam multis quotidie auxilio eſſet, ut ſibi in hoc diſcrimine, precatur. Auditus eſt, & ſimul manibus, genibuſque nixus, prorepſit in viam proximã, ac viribus derelictus ibi hæſit. Nondum finis; mala accumulantur, ut remedia creſcant; & H
diſcrimina iterantur, ut ſalutaris illa vis magis inclareſcat, Tres ex hoſtibus ſeorſum adveniunt, ſcrutaturi omnia, & prædam, ut fit, quærentes; miſerum hunc vident, accedunt, pecuniam, annulos, veſtem tollunt: ſublatiſque, gladio exſerto unus caput illi findit. Ne ſic quidem moritur, ſed Mariam identidem ingeminat, & in ejus, ac Divæ Barbaræ honorem, ut fas ſibi ſit peccata apud ſacerdotem expiandi, precatus. Tangit etiam duros animos, Diva faciente, pietas; permittunt, immò & operam promittunt: atque ecce ruſticanum ſacerdotem per viam fortè euntem vident, advocant, & homini admovent. Exſpectant, ut finiat, & tum illi quoque dent ſuum finem; nam occidere nihilo ſecius hominem deſtinatum erat. Sacerdote igitur etiam adſtante, unus eorum mucronem gladii, ut cenſebat in guttur ejus defigit: Diva avertit, & ſubuculam ejus modò ſcindit. Sacerdos intereà deprecari, & mitigare: exorat tandem, & recedunt, at-
A que ipſe ſic ſaucium in proximum quoddam horreum partim ducit, partim trahit, & vulnera ejus, ut copia erat, obligat. At ecce nova hoſtium manus, inter quos Duces ipſi, & honeſtiores militum erant; eorum metu ſacerdos fugere, Joannes conſpectis iis veniam, vitamque petere: & facilè impetrat ab animis nobilioribus, & quos honor, & humanitas non prorſus reliquiſſent. Sed enim diſceſſu iſtorum, tres illi ſicarii, immani ſævitia, iterùm redeunt: & cùm vivere vident, gladium unus ſtrictum viribus in caput librat; ſed Diva, quàm imclamabat, ictum moderante, humerum modò attigit, & leviter etiam ſtrinxit. Conſilium deinde capiunt in flumen cadaver (pro tali habebant) abiiciendi; quòd faciunt, & ſanguine manantem ferociter eò trahunt; quo tempore viſa illi palàm adſtare Diva Virgo, quæ ſolatium, & juvamen benignè promitteret: conſilium etiam daret, ut mortuum ſe gereret, & ſimularet. Paret: illi autem è ripa in flumen devolvunt: atque unus haſta etiam petit, ut ſi quid fortè reliqui ſpiritus, aut vitæ eſſet, educeret, Sed Diva & hunc ictum irritum facit, & clientem ſuum in inſulam modicam pervehit, limoſam, & leviter flumine extantem. Ibi confectus novem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas ferè tres ja-
B cet, erigere, aut movere ſe impotens: cùm ſacerdos, apud quem culpas ſuas faſſus erat, miſeratione impulſus redit, & eum quærit, & ſanguinis veſtigia ſecutus, ad flumen denique venit. Ibi non reperto, percellitur, & merſum omninò cenſet: cùm ecce oculos longiùs, & intentiùs permittens, videre in limo illo inſulæ viſus effigiem hominis. Neque certus tamen, homo, an ludibrium Genii eſſet, cruce ſe ſignat, & altè inclamat, Adjuro te, ſi homo, & Chriſtianus es, ſignum aut vocem ede. Joannes audit, & manum attollit. Sacerdos audacter in aquam inſilit, & collo tenus madidatus ad eum pervadit. Erigit, & in ſiccum, quantum poteſt, perducit: curſu inde in oppidulum propinquum fertur, vehiculum, & homines adducit miſero huic ſublevando. Qui inibi curatus, poſt paucas etiam ſeptimanas Hallas venit, Divæ præco, & omnibus narrabat, quæ vix ipſe, niſi ſibi, crediidiſſet.

Philippus Clivius cognomento, quia ex illuſtri ea gente originem, ſed natura, non lege ducebat, in oppido Burgundiæ claro, & noto Divione agebat. Militiam ſectabatur: neque ea proſpera illi tum fuit. Nam captus à Gallis, abductus Vaucolorium fuit, ad Lotharingiæ fines, & turri præaltæ creditus, quæ cubitos LXXX. ſupra terram eminebat. Petitum ab eò lytrum ſive redemptionis pretium, ut à Viro nobili, quin-
C genti aurei. Nimium quantum ei viſum, pro fortuna, & opibus: itaque æger animi mœrebat, & corpore etiam languebat. Die quadam ſub meridiem cibus ei adfertur, non ſumit, ſed ſomnus eum ſtatim occupat: & dormit in ſequentis diei alterum meredicm, dormiſſetque etiam (ſedens, & in vinculis) niſi cuſtos excitaſſet, & ad cibum invitaſſet. At ille ſprevit, neque cupido erat: ita toto animo agitabat, & defixus hærebat in viſo, quòd per ſomnum erat objectum. Id tale. Videbatur Hallis eſſe, & jacere in ipſis gradibus ſacelli, quod Divæ Virgini eſt ſacratum. Ibi preces fundebat, coram ejus imagine: atque ea ſolari, & animos addere, ut brevi liberando. Hoc ſomnium, dico, cùm ſuaviter menti obverſaretur: cuſtodis abſceſſu in genua volvitur, & illam ipſam Divam precatur, ratum, firmumque id velit eſſe. Spei impletur, & os arripit è carne bubula, quæ eſui antepoſita erat, eoque velut lima uſus (ah ſtulte, non ſtulte, quid facis? oſſe ferrum ſecas?) uſus, inquam, ſtatim numellas ferreas, quibus cervix adſtricta, decidere videt fractas. Idem in manicis, idem in compedibus. Et jam vinculis omnibus
D liber, fune, quem è laneis, lineiſque veſtibus ſuis fecerat, è feneſtra ſe demittit. Sed turris, ut dixi, præalta erat, nec funis ſatis competebat: tam fiducia divini auxili dimittere, & illæſus in terram ſaltu fertur. Iterùm hic miraculum, fugit in proximam ſilvam, & metu perquiſitorum diem totum latet: idem altero, tertiòque facit, & noctes ſaltem itineri impedit: idque ſine ullo cibo, aut etiam veſte. Diva tamen tuita, ſanumque perduxit Hallas tali illo habitu, id eſt nudum, & ſqualentem.

Plura miracula varii generis, variis locis, è Tabellis, aut Inſcriptionibus collecta: & ab eodem I. Lipſio poſteritati tradita.

Anno M.D.XXXV. quo tempore Carolus V. Imp. fortiter magis, quàm feliciter, intentatam ab aliis Africam, & in ea Algerium urbem tentavit: fuit in expeditione Joannes Preſius cum uxore, qui in reditu præſens vitæ periculum adiit, ipſa navi, qua vehebatur, everſa, & merſa: cùm ille, Diva Hallenſi inclamata, teſtatur in Tabula incolumem ſeſe, atque illæſam evaſiſſe, & modum ultrà non addit. E

Anno ∞ D.LXIV. Mantuæ Carpetanorum, quòd Madritum hodie appellant, Puella Aulam regiam, cum parentibus ſecuta (ii autem Hallis oriundi erant) caſu è feneſtra ſublimi, & quadraginta amplius pedes alta, decidit. Divæ corde invocatæ auxilio immunis ab omni noxa ſurrexit, vocem ſtatim emittens, *O Diva Parens me tuere.* Bona Virguncula, jam tuita erat: quid poſcis; agnoſce magis, quàm pete: ſed & hæc agnitio etat, ore faſſæ, quod corde voverat.

Anno ∞ D.LXXI. Alfonſus Guſmanus Hiſpanus, domi nobilis, ejuſque filius, ille in gutture lethale vulnus, hic in capite exceperant: & à medicis deſperati, ac relicti, ad Divæ hujus opem verſi ſtatim eam ſenſerunt, & cum omnium admiratione intra paucos dies utrimque vulnus conſanuit.

Anno ∞ D. XCI. fuit Vir nobilis Antuerpiæ (nomen verecundè ſilemus) qui fœdum, & immane aliquid in ſe meditans, & animi impetu victus, fræna rationis excuſſerat: ſubitò ad Divam ipſam ſeſe, & preces convertens, mirabili mutatione ſenſit refrigeratum pectus, & ſcelus, quod amabat, deteſtari. Quo offenſus, qui prædæ jam imminebat, malus Genius ex alto loco, & ſeptemdecim gradibus ſcanſili, hominem præ- F
cipitem dedit; ceciditque ſine noxa corporis, aut membrorum, pugione tantùm diffracto, quem ſceleris inſtrumentum geſtabat. Divæ igitur huic gratus tabulam poſuit, magnum, nec obſcurum rei monumentum.

Anno ∞ D. XCIII. Nicolaus Biatta, inter Epirotarum equitum (qui laudem à tempore Caſtriotæ illius, vulgò Scanderbergi, equeſtris militiæ tenuerunt) inter equitum dicoillorum vexillationes, & alæ unius Præfectus, in Gallia militabat Carolo Duci Mayennio, qui religionis cauſam tueri cenſebatur. Cùm autem juxta Cambreſium in pago aliquo, cum Ala ſua ſolus ageret, occaſio viſa Duci Longevillo (is partes Æenrici IV. Regis ſequebatur) rei benè gerendæ, & hominis opprimendi. Itaque venit ſubitus, & invadit eum, cum ducentis circiter equitibus, quadringentis peditibus. Impar valdè pugna, & vel numero vincitur: equus ſub eo confoditur, ipſe capitur, & ut bellis civilibus ſanguis magis, quàm præda petitur, clamatum, imperatumque, occide. Vulnus igitur in capite lethale accipit, viginti in reliquo corpore plagas: & cùm in tanto diſcrimine Divam hanc palàm invocaſset, ſemimortuus, opinione mortuus relictus, incolumis tamen evaſit, & voti reus Hallas paulò poſt venit; tabula mira- G
culum teſtatur.

Anno ∞ D.XCV. Antonius Chamberius, Anglus natione, vicarius Centuriæ Tribuni ſui Stanleii: cùm Spadam in Eburonum tractu, ad laudatos illos, & medicatos fontes veniſſet, fors fuit (memini, & pars periculi eram) ut Batavi trecenti equites inopinati advenirent, multos opprimerent, & abducerent captivos. Iſte in eorum medio tutus, & intactus (dicamne, & in conſpectus?) egit: ſola Diva hac Virgine, cui ſe devoverat, velante, & per medios hoſtes eripientes. Senſit, & faſſus eſt, & tabula ſcripta adfirmavit.

Anno ∞ D.XCVII. Stephanus Robinus, Montibus Mannoniæ oriundus, rei, & negotii cauſa Luſitaniam cùm feliciter veniſſet, in reditu non eadem fortuna fuit. Tempeſtas occupat, & in medio mari navem frangit, & vectorum pleroſque demergit. Ipſe in D. Virgine fretus, tabulam arripit, & inter tenebras, vaſtoſque fluctus, ſidere illo allucente, ac dirigente, terram, & vitam tenuit. Tabellam dedicavit, & brevi narrationi ſubſcripſit: *Mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis.*

Anno ∞ DC.II. Gerion Parmenterius, nobilis vir, & miles in præſidio arcis Tornacenſis agebat, ſub Illuſtriſſimo Philippo Comite Soltano, virtutum, & prudentiæ dotibus inſigni Principe. Improvidus, an feſtinus, decidit veſpere ſub horam octavam, denſis jam tenebris, Februario menſe, in ſubje- H
ctum arci flumen, magnum, & rapidum, Scaldim. Ipſo caſu Viginem Hallenſem inclamat, & vota vovet: ſtatimque non auxilio ſolùm, ſed præſentia adeſt, videtque coram Divam tali effigie, qua in æde Hallenſi aræ ſuperſtat. Et quaſi manu ſentit ſublevari ſe, & impelli ad ripam fluminis: ubi ſalicis ramum apprehendit; tenuitque firmiter, donec cymba ex altera ripæ parte appulſa, in eam impoſitus liberatur. Hoc non ipſe magis, quàm vigiles omnes arcis teſtati ſunt, qui viderunt, audieruntque.

Anno ∞ DC.III. quo hæc ſcribimus, Uxor Nicolai Langii gravi morbo detinebatur, depoſita, & à medicorum ope abdicata. Decem horas pro mortua jacuit: cùm maritus vota noſtræ Divæ facit, factiſque uxor reviguit, an revixit? certè intra

intra paucas horas plenè revaluit. Uterque Hallas venit, mo- A numentum dedicavit. Plura liceat aggerere : ſed aut prioribus paria, quæ cum tædio iterentur, aut obſcura, id eſt, nec locis, nec temporibus, aut perſonis ſatis definita. Paſſim enim ibi ſcipiones, fulcra, mali, aut tabulæ navium, variæ hominum, aut eventuum figuræ, quæ latam opem oſtendunt, ſed ut dixi, incertam, & narratu haud facilem; quoniam in re iſta ſacrorum nec libet, nec licet, ingenio indulgere. Superſedemus; & quidni ſatis ſint iſta, beneficentiæ, & potentiæ ejus aſſerendæ? ſed & pietati, ac religioni in animis excitandæ, ſi qui ab utraque ex profeſſo non ſint alieni.

Aliud, ſed ab alio ævo : quodque certius deſignetur. Evenit enim, ut memoriæ veteres habent, anno ∞ CCC.XC. menſis Auguſti die, qui Petro eſt ſacer. Angianum in Hannonia oppidum eſt, in declivi ſitum : ubi civis quidam inter gregarios, Paſtinus nomine fuit. Evenit die jam dicto, ut ſubita, & prodigioſa tempeſtas eſſet; nimbi, tonitrua, fulmina, & aquæ ſic denſæ caderent, ut torrentes ubique fluerent, domos abriperent, plateas delapidarent, molas auferrent, omnia denique, ut mare, inundarent. Homines trepidare, alius in altum, alius imum fu- B gere; ille aquas, hic fulmina : & Paſtinus noſter in cellam penuariam ſuam, pluribus gradibus dimiſſam. Dum ibi eſt, ſervare etiam edulia aliqua, aut utenſilia ſua ſatagit; ecce aquæ vis perrumpit cavum implet tanta vi, ut exitus ipſi, nec ipſis quidem eſſet, niſi muris in parte perruptis, & dejectis. Sed nec ſic finis : aquæ aliæ adveniunt, & jam Paſtino mors in oculis, D. Virgo Hallenſis in ſenſibus : quam trepidus invocat, & unà (illa inſpirante) januam in ſublimi, quæ fornicem claudebat, manibus apprehendit. Tenet fortiter duas totas horas, & aquæ nihilominus undique aſſultant, mentũ, & caput interim ſupergrediuntur, aut tangunt. Jam nox advenit, & mortis nuncia, aut ſoror, caligo : cùm ille flebiliter iterùm Divam, nec fruſtra, invocat; quippe quæ claris radiis immiſſis locum illuſtravit, & ſimul vires ei addidit ad perdurandum. Nox, & aqua abiit, ipſe emerſit, uxore & prole tamen ſubmerſis : Hallas venit, ceream imaginem obtulit, ſeptemdecim fidos teſtes adduxit, qui unà cum eò de re ſic geſta affirmarunt.

Alia rei magnæ, ſed brevicula, & ſine tempore, aut perſona, loco, narratio : ſed vetus, & mihi fida. Puer domo egreſſus quæritur duas horas amplius, nec invenitur. Pater denique in lacunam lapſum reperit, capite in limo fixum, pedibus ſupernè C elatis. Educit, deponit in terram, adſtat mœſtus, & explorat ſi quid adhuc animæ inſit. Exſpiraſſe vidit, & hora tota jam lapſa ab eductione erat : cùm interno quodam inſtinctu ad Virginem Hallenſem impellitur, eique puerum, & preces offert. Vix factum, vita redit, puer palpitat, & erigitur, cum læto patre domum abiit.

Alia item ſine tempore, ſed aliis tamen notis inſignita. Fuit Aldenardæ in Flandria Reinerus VVilegimus, vir mente, & corpore validus : ſed in quem ipſo Aſſumptionis D. Virginis feſto malignus Genius irruit, & domum ſibi fecit. Fremebat, ſpumabat, laniabat ſeſe, & alios : fœda facies, & vel hoſti miſeranda; quid cognatis, & amicis? Illi conſenſu, & voto Hallas adſpiciunt, tutelarem hanc invocant, adversùs notum, & ſæpiùs fractum hoſtem. Audit; adeſt, occulta vi eiicit : & ſtatim reſtituit ſibi, & ſuis, verè jam Reinerum, & purum. O potens, ò benigna, nos quoque ab eodem fallaci ſerpente defende : & quæ caput ejus ſemel in ſacra conceptione tua contriviſti, ne cauda nos flagellet, aut ſternat, adjuva, & indulge.

Alia carmine complectenda.

D *In terra, & urbe Eburorum fuit* PUER
Stirpe, atque cenſu honeſtius, æger corporis,
Et orbe utroque lucis orbus : quod Patri
Perdoluit, & matris, atque amicis omnibus,
Medicina adhibita fruſtrà, inhærebat malum
Et cæcitatis ſimul, & ægrimonia.
Sed ecce fama melior aures accipit
De Virgine hac Hallenſe. Vota nuncupant :
Et nuncupatis luce donatur puer,
Clara, atque certa : quinque heri tenebrio
Vulgò audiebat, provocat nunc Lyncea :
Donatur, & ſalute reliqui corporis
Venit parens uterque, venit & puer,
Cui Nicolaus nomen, Hallas oppidum :
Siſtuntque Divæ ſeſe, & unà imaginem
Puri, & puti argenti offerunt : quæ poſteris
Beneficii teſtamen eſſet, & fides.

Jam ad ea venio, quæ temporis, etſi non rei, magis certa. Anno ∞ CCCCV. Viri tredecim, quorum nomina ſche- E dis expreſſa pretium non eſt iterare, navi è Batavia Antuerpiam vehebantur. Tempeſtas oboritur, & mare fit magnum, & nox ſuperveniens mala, metumque auget. Magis etiam gubernator, qui victam à vi artem faſſus, oratione ſtricta, & aſpera hortatur. Quiſque ſe fatis paret, Deo litet, ad meliorem vitam iturus hac amiſſa. Fuit gemitus, & comploratio, in genua volvuntur, manus ad cœlum tendunt, præſentem omnes mortem exſpectant. Fuit, qui ſuggereret, D. Virginem Hallenſem communibus votis, vocibuſq; invocandam : quòd faciunt. Et facto, ſtatim clarum lumen navi ſuperfulſit, quod tenebras diſpulit, metum minuit : & mox illa gubernante navis portum tenuit; è qua totidem illi viri egreſſi, omiſſis rebus, Hallas venere, & vitam ſe Virgini debere teſtati, votum bona fide ſolverunt.

Anno ∞ CCC.VII. Virgo fuit nobilis à gente Hangerelia, quæ corpore ſana, & forma bella, ſubitò mente capta fuit, & in furorem data. Matrem habebat caſu hoc (quis de parentali affectu dubitet?) confuſam, & afflictam. Omnia experitur, & facit : ad Divam denique Virginem ipſa auxilii cauſa venit. In templo eſt, & preces fundit : ipſo illo momento F filia abſens convaleſcit, & plenè ad mentem rediit, priuſquam mater rediret. O gaudium, & amplexus! Eamus mea filia, coram gratias acturæ benegniſſimæ Patronæ, cui tu ſanitatem, ego vitam debemus. Veniunt, ceream imaginem centum decem pondo libras offerunt, quæ filiam ipſam repræſentaret, ἰσοτάλαντον, ut cum Græcis dicam, & ipſo illo pondere æqualem.

Anno ∞ CCCCVIII. Huyum oppidum in terra Vburonum ſuper Moſam eſt : qui medium ſcindit, & interfluit, ſed ponte lapideo conjunctum. Puer ibi annos quatuordecim natus, cum quatuor æqualibus ſuis cymbam conſcendunt, & ſolita huic ætati laſcivia in flumen pergunt, ludere, & vagari captantes. Sed miſeri in diſcrimen, & angorem veniunt, venti ſurgunt, & flumen à pluvia increverat : jactantur, fluctuant, & tamen adniſi ad ripam appellunt, & quatuor exſiliunt, primus ille quatuordecennis puer relinquitur, repulſa, ut fit, pedibus aliorum cymba. Venti etiam abripiunt, atque adeò cymbam evertunt; puer in undis volvitur, pueri compares opem clamant : accurrunt plures, & inter eos trepida mater. Quid faceret? tollit in cœlum oculos, & ò Dei mater, quæ Hallis coleris, matri ſuccurre. Ego, & filius ſoſpites tibi ſiſtemur : votum facio. Dixerat, ecce puer in- G ter ingentes undas ad pontem abripitur, inter arcus illæſus tranſit, & ad medium circiter milliare ſupernatat : quo, niſi cœleſti manu, ſublevante? Cujus ductu, longè infra oppidum in pratum devehitur (nam flumen reſtagnabat :) & ibi molliter deponitur, ac matri redditur. Reddunt & ipſi votum Hallis, lubentes, meritò, tibi Virgo auxiliatrix.

Anno ∞ CCCCX. Bruxellæ in ſuburbio, quà Halla itur (Obbruſſeliam vocant) ruſticula mater erat; quæ Puerum ſexennem in viridarium ſecum duxit, herbas & gramen jumentis reſectura. Comitatur, & alter aliquis è vicinia puer, & mater opus ſuum facit, ſuum pueri, id eſt ludunt. Sed puteus ibi profundior erat, è quo aquas hauriebant, in orbem lapidibus ſubſtructus, ut ſolet. In hunc filius fœminæ (Lilia illi nomen) improvidè decidit : puero altero adſtante, & ſuppetias clamante. Lilia venit, puerum non videt, pileum ejus ſuperfluitantem aquis videt, ipſo gravi caſu ad fundum demerſo. Tollit clamores : viciniam concitat : è quibus unus denique, cum harpagone accurrit, quo in aquam demiſſo puerum extrahunt, ſed palàm H mortuum, & colore mortis. Nam vel atrior carbone erat, ſimilis ſuffocatis. Jacet ibi, & miſera parens affligitur, ſimul aliæ mulierculæ : & tandem, uno aliqua præeunte, votum Divæ Hallenſi concipit : quòd ab ea auditur, ſtatimque vitam, & vires puer recipit, ſurgit domum abiit. Triduo pòſt cum matre, & vicinis Hallas veniunt, factum narrant, grates, laudeſque dicunt.

PUER TRIDUUM MORTUUS, ET SEPULTUS REVIVISCIT.

Sunt hæc ferè uniformia, fateor : & alia etiam dicenda reſtant. Quid enim iſta omittam? aut quid magis poſſit eſſe Dei potentiæ, matris gratiæ aſſerendæ, quàm mortuos per eam ſuſcitatos? Gentiles hic ſtupeant, improbi ſileant : nec color ſit iſtis verè Miraculis diluendis. Ergo non rem, ſed ſtylum tamen mutabo, & vertam.

Seneſſia, qui pagus eſt Brabantiæ
A *Hallis propinquus, nimia mira ediſſeram*
Olim accidiſſe, audite, res certiſſima eſt,
Firmata ſcriptis ſeriis, & teſtibus,
Firmata item tapete picto, textili,
Quem nunc videre templo in Hallenſi licet,
Res ſic habet. Matrona nupta, patrui
Propinqua, languet : mortuam prolem parit,
Amici, & agnati, ut ſolet, mandant humo
Cadaver : abeunt, atque luce poſtera,
Matri haud volenti non volentes nunciant,
Sed nunciant, in lachrymas hæc ſolvitur,
Diemque totum luget : ecce veſpere
Videre viſa ſpecie honeſta feminam,
Solatii, quæ hac lege faceret copiam,
Si vota concepiſſet Hallenſi Deæ.
Nihil morata concipit, dein vocat
Oratque præſentes, ſuam prolem ſibi,
Saltem liceret leviter oculis tangere,
Quam menſibus tot conditam in ſinu ſuo
Mater tuliſſet, ſpernere illi, & dicere
B *Prolem ſepultam, & mortuam ante triduum,*
Inſiſtit hæc, & precibus iterùm quærere :
Negantibuſque, verſa in iram edicere,
Se potionis, & cibi expertem fore,
Id donec impetraſſet, His victi minis,
Eunt, refodiunt, adferunt, in lectulo
Locant parentis; illa lumen poſcere,
Ei intueri ſedulo; quid fit? puer
Mutat colorem, è pallidoque punicat,
Movetque utrumque brachium, & bis ter gemit,
Defertur in ſacram ædem, ut undis abluant
Ex lege ſacris : ſed ſacerdos in mora eſt.
Adſtabat aræ, & incruentam victimam
Deo immolabat : immolato, iterùm tamen
Moratur, & negat puellum vivere.
Hi dicere, ille abnuere : at ecce mox puer
Et ſpiritum palam, atque aquas emittere.
Ergo ille munus fungitur ſuum, hi ſuum,
Domumque redeunt : denique à meridie
Sopitus iterum Chriſtiani jam gregis,
C *Demoritur infans, cælicamque init domum.*

Sed ad alia imus : & omne genus auxilii Miſericordiæ matrem, ut Eccleſia appellat, in omni genere miſeriarum oſtendemus attuliſſe. Avennæ in finibus Hanroniæ, & Picardiæ oppidum eſt, Ducibus Arſchotanis jure, & municipio ſubditum : uſu tamen, & tranſactione aliqua, Principum Belgicæ factum, ut præſidia locare, munire, & tueri faciliùs, pro ſuo arbitratu poſſent. Quid hic mirandum evenerit, jam dicam. Erat Joannes quidam Sampenojus Gallus natione, ex oppido Aſpernaco in Campania, opinor. Is pietate motus, anno 1405. Hallas ad viſendam Virginem affectabat : & in via duos comites (heu!, parum fidos!) reperit, Nicolaum Barenium, & Petrum Normannum. Illi benignè appellare, & Quò iter? In Belgicam. Nos unà : te pietas, nos lucellum trahit, & mercatores ſumus. Avennas juncti veniunt, ſtatim miſſi è Gallia ſuperveniunt, qui duos illos furti, & rapinarum nimis ex vero arguunt : atque illi duo jam capti, iſtum falsò. Fatentur in tormentis, quatuor argenteas pateras ſe furto abſtuliſſe, vendidiſſe, & trientem pecuniæ hujus Joanni ceſſiſſe. Ampliùs, tres D alias in oppido S. Maxentii partitione eadem facta. Denique, præter hæc atque alia furta, cædem patraſſe innoxii viatoris : & hujus quoque conſcium, atque adjuvam Joannem fuiſſe. Itaque ille in iiſdem vinculis, & cuſtodia habetur : & Nicolaus jam eductus, & cruci admotus in eaque ſuſpendendus, religione tactus liberat culpæ omnis Joannem, & revocat quidquid accuſarat. Alter Petrus contrà, & palàm, iterumque aſſerit, & in extremis fallere ſe Deum, hominesque negat : Joannem conſortem facinorum illorum verè eſſe. Hic prætor nihil ultra ambigere, & Joannem eodem adigere : & tamen quia innoxium ſe proclamabat, populum hortari, ut ſacrificio Miſſæ intereſſe vellent, in gratiam, veniamque criminum morituri. At Joannes, immò potiùs, ò Prætor, inquit, Dominicam orationem, & Angelicam ſalutationem ſiuguli recitent, honori Beatæ Virginis Hallenſis, ad quàm ibam. Et quoniam in innocentia parùm præſidii eſt, ad illam appello, ea me tueatur. Poſt dicta, carnifex hominem cruci applicat, laqueo illigat, ſcalis deiicit : & ille vivere perſeverat, quòd alii mirantur, carnifex in- E dignatur. Itaque funem trahere, & ſtringere, genibus niti ſuper eum, & premere, omnia facere, quæ accelerandæ morti eſſent. At ille tamen vivere : & palàm videre (poſteà faſſus eſt) pulchra, & auguſta facie fœminam à tergo ſibi ſtantem, quæ amplecteretur, & circumdaret, velut in tutelam ſuam receptum. Hora ampliùs ſic exigitur : atque ecce demirantibus ſupervenit in equo vir nobilis Joannes Sellius, omnibus ibi à virtute, ſtirpe, & opibus notus. Is ad Prætorem, Domine, inquit, precibus à te poſco, hunc innoxium hominem mihi dones, aut potiùs Beatæ Virgini, cujus nomine, & monitu huc veni. Ille impellitur, jam antè inclinatus : & ſolvi jubet, ac ſibi habere. Accedit Sampennojus ad ſuum ſervatorem, gratias agit; ille à ſe abdicat, & ad Divam, inquit, Hallenſem perge, cui promiſeras, auctorem tuæ ſalutis agnoſcere, & meam ab illa depoſcere.

Quòd non pridem anno ſcilicet 1601. 4. Kal. Sept. nec procul evenit, incolis, & accolis notum, Carmine complectamur.

Seditio militaris, heu, Belgas meos.
Quoties malè habuit, atque pene perdidit?
Vel illa, quæ biennium ante, in oppido F
VVEERDA *coaluit, atque ibi fixit pedem.*
Erant calones, & mala, manus, fœminæ.
Hi juſque, faſque, & imperantium jugum,
Etſi exuiſſent; attamen ſine legibus,
Aut ſpecie earum, haud agere poſſe ſe vident.
Statuta condunt ergo militariter.
Et maximè quæ commeatum tangerent :
Ut liber ille, uberque poſſet advehi,
Advectus venire, ſciſcunt neminem
Diripere poſſe inempta, vel ſubducere.
Colore nullo niſi dati nummi forent.
Et quiſquis aliter, capital hoc ipſum foret.
Sciſcunt, & exequuntur, ecce ſervulos
Inter, JOANNES *gente Lucemburgius,*
Haleca dum vult emere, itemque ſolvere :
Abripitur à premente turba, & in manu
Nummos tamen reſervat, iſtud conſpicit
Tubicina quidam, & incitante præmio.
(Index ferebat quinquies quinque aureos)
Accuſat hunc apud Ducem, quem legerant :
Ille advocare concionem, & dicere G
Reum Joannem, qui videtur? omnium
Vox una Lex ſervetur, & pereat nocens.
Crux illico extollitur, & myſtæ duo
Sacri accientur, ſuas culpas piè
Piet Joannes, qui tamen reſiſtere,
Et velle ſe purgare : fruſtrà, ita omnium
Aures ad innocentis occluſæ logos.
Ergo ille tollit lumina, & mentem ſimul
Ad alta. Tu regina cœlitum potens,
Quæ cultum, & ædem in oppido Hallenſi tenes,
Tuere me innocentium vindex ſolers.
Dixit, ſimulque concipit fiduciam
Certam ſalutis, lictor abducit tamen.
Crucique ſiſtit : tollit inde carnifex,
Adſtringit, & devolvit, ille duplici
A fune dependebat, alter rumpere,
Alterque idem minari ter, miraculum
Viſum omnibus, clamantque mitti innoxium.
Non mittit, immò carnifex magis premit
Manu, genuque : donec unus militum H
Conſcendit, & funem alterum gladio ſecat.
Sic liber à gabalo Joannes tunc abit,
Et venit Hallas, votaque exſolvit Deæ.

DONA PRINCIPUM, QUI BELGICÆ PRÆFUERUNT.

Jam ad eos venio, qui Donis etiam, & Muneribus variè teſtati ſunt affectum. Et quamquam hic quoque magnus numerus, (in Rationario templi vidi) tamen duplici cauſa diffundere hæc prohibeor. Primùm, quia ipſa Dona non omnia, immò exigua pars comparet; cùm olim, & nunc maximè publica hac inopia multa conſilio, & conſenſu divendita ſint, ad templi, & ſacrorum uſum Deinde, quia eadem hic Actuariorum ruditas culpanda, qui Dona quidem conſignant, & appendunt : ſed donantium nomina inſuper habent, titulus indicaſſe contenti. Ut, *Dux Brabantiæ calicem dedit. Seneſchallus Hannonia ſtatuam argenteam armati militis crucem inauratam magni prætii, & operis,*

operis, figuris variegatam, Delphinus Galliæ. Ille ipſe *Falconem magnum argenteum inauratum.* Item, *Statua donata argentea, muliebri habitu, cum inſignibus Bavariæ.* Item, *Statua argentea, corona, & capillis inauratis ipſius Divæ Virginis, donante Toparcha Montmorencio.* Multa, inquam, hæc talia lego: ſed quid memorem, perſonis, & cauſis ſic incertis? Ego verò pauca illa digeram, quæ noſtri Principes, & Dynaſtæ dederunt: & initium ab illo faciam, qui Belgicam noſtram in hoc unum corpus feliciter junxit. Is eſt Philippus jure ſuo Bonus: & huic Divæ, quàm addictus! Docent monumenta, quæ affectus, & cultus ſui reliquit. Primò, ipſius Virginis ſtatua grandiuſcula in media Ara poſita: ſed auro puro inducta. Filium brachio uno præfert, altero florem Lilii inauratum. In pectore monilis vice ſunt uniones ſex, puri, grandes: & in eorum medio carbunculus, ſive Pyropus lapis, quem Rubinum nos à colore vocamus. At in capite corona eſt puri puti auri. Sunt deinde in eadem Ara duodecim Apoſtoli, ex argento, fabre ſatis facti: quos inibi etiam nunc eſt videre, ſimulque ad latus utrumque Aræ duos cæleſtes Genios, ſive Angelos, eodem metallo, candelabra præferentes, & venerationem Divæ exhibentes. Supra has ſtatuas, ibidem duæ ſunt militares, altera Pedeſtris, altera Equeſtris: & ſignificatum liquet, utramque militiam ſuam verè Bonum Principem Divæ conſecraſſe. Aliæ pariter ex argento: ſed fuerunt & duæ eodem militari habitu puri auri: quarum Pedeſtris ſecurim, Equeſtris lanceam manu teneret. Idem Lampadem auream, inſigne munus dedit: cui aliam inauratam publica neceſſitas deinde ſubſtituit. Fuit & Statua juſtæ magnitudinis, dimidiata argento, donum ejus Uxoris. Conſpicitur item Feneſtra vitrea in eò ſacello variè picturata, Philippo curante, & donante. Denique & tabula eſt, in qua ipſe Dux ſupplicis habitu effingitur procumbens ad Divæ genua; & verſus aliquot Gallici inſcripti pii magis, quàm boni, in hujus laudes, Annus ſubſcribitur ∞ CCCCLV. Martii dies XX. Enimuero (vides Lector) valdè hanc Divam, nec ſine mercede coluit: quippe quæ pariter eum extulit, & ad id ævi divulſas Belgicæ provincias, paulatim conciliavit, & unius illius imperio ſubjecit.

Carolus ejus filius, cognomento, & re Audax: atque utinam non fuiſſet! Ejus ibi donum lego, Falconem argenteum: nec ultrà.

Maximilianus ſucceſſit, qui in Auſtriam gentem omnem hanc potentiam tranſtulit, matrimonio Mariæ Burgundicæ, Caroli filiæ junctus. Dignus ea fortuna, & majore, Princeps fuit: virtutibus, & animi magnitudine, itemque benignitate cum optimis comparandus. Quid dicam de Scientiæ, & Sapientiæ ſtudio? Quòd ad Scientiam, vix alius in eò culmine literas, & memoriam rerum veterum, magis ipſo coluit, earumque gnaros honeſtavit. De Sapientia, unum, ſed eximium factum, dicat. Biennio toto ante mortem (& ætas adhuc bona; ac valetudo erat) capulum è plumbo funebrem, arcæ ligneæ incluſum, circumferri ſecum, quaqua iret, & in dormitorio ſemper cubiculo deponi curavit. Theſaurum ignari cenſebant occuli: & erat, ſed Philoſophiæ, cujus ſtudium veteres definierunt, Meditationem mortis eſſe. Sed Principis hujus laudes arcta pagina non ſtringo: Pietatem memoraſſe contentus, quæ agmen virtutum ejus duxit. Oſtendit, habuitque eximiè in hanc Virginem: & qui niſi ipſum teſtem demus? Conſpicitur etiam nunc, genibus nixus, in ſacelli dextro latere, tabulato paulùm altiore, loricatus, & cætero cultu militari. Ponè eum Albertus Dux Saxoniæ geniculatur, itidem armatus: qui bellis tunc noſtris fidam, fortemque operam Maximiliano præbuit, & filio ejus Philippo. Illum eſſe inſignia gentilitia ſatis oſtendunt. Et & tertius, velut per ſubmiſſionem paulùm ab illis remotior, genu pariter flexo: quem, ex inſignibus, genus Meluniæ eſſe apparet: ac fortaſſe Robertum Melunium, id ævi rebus, conſiliiſque mixtum. Dona Maximiliani ſunt, Calix cum patina inauratus: cui inſculpta Auſtriæ gentis inſignia, ſuperaddito pileo Archiducali. Ex quo liquet ſub initia, Archiducem adhuc dediſſe. Ejuſdem eſt Divi Maximiliani ſtatua argentea, admodum bipedalis: quæ mitram capite, crucem una manu, altera gladium geſtat, & ab eo dependentes argenteas duas claves. Fama tenet (& clavium argumento adſtruas) Bruxellenſes noſtros, anteà aliarum partium, tunc in pacem, ditionemque acceptos, velut mulctam dependiſſe. Eſt ab eodem Arbor, ſive Roſæ frutex, è puro auro, cum pluſculis ramis, floribuſque, item bipedalis: quam ſacratam à ſe Pontifex Maximiliano donum, ipſe porrò Divæ Hallenſis miſit. An non velut omen, aut votum? ut ſua ope vellet Belgicam, attonſam tot bellis, & attritam, ſub novo imperio iterum reviteſcere, & pace ſuaviter florere. Et verò ſæpè auxiliarem illam ſenſit, palàm in Atrebatium urbe à Francis avellenda, & in corpus ſuum reſtituenda. Tenebantur grandi præſidio: civium optimi, quod viribus non poterant aſtu patrandum ſuſcipiunt: ſed trepidi, & anxii, ut intrer plures, ne res emanaret, aut in eventu falleret; animos ad Deum, & Divam vertunt. Vovent huic, ſi adſpiraſſet, nudis pedibus Hallenſem ejus ædem inviſere, oblaturoſque è ferro, & cera tabulas, rei geſtæ monumentum. Amplius, egenis pecuniæ certum modum ejus honori elargituro, & denique aqua, ac pane vitam toleraturos: donec votorum iſtorum ſe liberaſſent. Factum & hoc, & iſtud eſt: cives, & urbs principi ſuo redditi, & vota noſtræ Divæ.

Philippus ſequebatur, hujus filius: qui Hiſpaniarum regna per conjugium eſt ſortitus. Magna indoles virtutum, ſed brevi imperio, & vita: cùm fata hanc lucem terris tantùm oſtendiſſent.

Ergo excipit Carolus V. pius, & felix Imperator: cujus laudes ne libare quidem hîc ſuſtineo, alibi pleno ore dicendas. Is ſæpè ad hanc ædem, religionis cauſa, ventitare ſolitus, donis etiam auxit. Statuam argenteam viri armati genibus nixi, manibus in cælum ſublatis, ſupplice habitu, dedit, dicavitque. Idem Scyphum grandem inauratum, operis antiqui. Idem militari forma chlamydem, villoſo ſerico, auro intertextam, inſignibus Imperii, & gentis Auſtriæ decoratam: quid in ea, niſi ſuam Divæ militiam, & victorias, aut conſecrans, aut referens acceptas? Cives autem ab inſito in hunc Principem affectu, Donum hoc ſuper alia honeſtant, & quotannis, ſolemni ſupplicatione (prima Dominica Septembris) ea chlamyde ſtatuam Virginis ornatam templo efferunt. Efferunt, inquam: nam mox, via procedente, mòs habet ſæpiùs ſæpiuſque veſtes mutare, & pia aliorum etiam dona admovere: ſed primum, ut dixi, velandi honorem Cæſareum illud habet.

Iterùm Philippus ſequitur: ſed brevi in his locis mora, affectum (ut cætera ejus pietas ſuadet) habuit magis, quàm oſtendit.

Albertus jam noſter Auſtriacus, & Iſabella Clara Eugenia, ejus uxor, optimi, atque optatiſſimi Principes, ſingulari uterque religione, eam in hoc loco, & Diva eminere etiam voluerunt. Sæpiùs adierunt, preces fuderunt, & ille donum ſuſpendit. Lampadem argenteam, pondere, & opere inſignem, eique vectigal annuum addidit, ut in ævum ante effigiem ſacram luceret. Iſabella autem Chlamydem ſacravit auro, & argento intertextam.

Penna Justi Lipsii Oblata.

Cæterùm Principibus viris annumerandus V.C. Juſtus Lipſius Literarum, & Eloquentiæ ſui ſæculi princeps, qui hæc B. Virginis admiranda calamo ſuo concepit, & evulgavit, eidem quoque eodem hoc loco Pennam ſuam tantorum operum, quæ ſera poſteritas ſtupeſcat inſtrumentum, argento celatam dicavit, & his verſibus exornavit.

Hanc, Diva, Pennam *interpretem mentis meæ,*
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima, quæ voravit, & terræ, & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper, auſæ quæ Constantiam
Deſcribere, & vulgare; quæ Civilia,
Quæ Militaria, *atque* Poliorcetica;
Quæ, Roma, Magnitudinem *adſtruxit tuam;*
Variaque luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit: hanc pennam *tibi*
Nunc, Diva, *meritò conſecravi* Lipsius,
Nam numine iſthæc incboata ſunt tuo,
Et numine iſthæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ò benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam pennam *peperitque, tu perenne gaudium*
Vitam, Diva, Lipsio *pares tuo.*

COLLIS ASPER IN BRABANTIA, B. Virginis Cultu, et Beneficiis Illustris.

Ab anno Dominici M.DC.

Peregrinatio, & Vota ad eundem. Item Miracula celebriora.

De Statua, quæ loco huic admirationem, & ſimul glorioſæ Virginis, quam repræſentat venerationem primùm dedit, & miracula circa illam, ſua brevitate ſuprà nonnulla tradidimus, nunc quæ ab ipſa, aut ad ipſam, eaque non omnia, ſed ex omnibus, quæ propè infinita, magis nota, & ſelecta.

O crebra, ò aſſidua Miracula! & quis non excitetur? ait *idem Lipſius particulari Libello.* Jã fama meritò vicina, & longinqua implebat, jam concurſus undique, & tanta quotidie frequentia (ipſi vidimus) ut viæ penè commeantibus anguſtæ eſſent. Sæpè in uno die quinque, ſex, millia notata: vis & quaſi miraculum? in uno Nativitatis ejus feſto, ad viginti millia ſunt obſervata. Quis, niſi numen, in unum locum ſic conduxit, & hunc Pietatis ſenſum infudit? Nos quoque, ſub id tempus pars inviſentium fuimus: & ad te Diva, animi magis, quàm corporis cauſa, ivimus: tamen & pro iſto apprecati, ſi ſanari & vireſcere expediret. Preces eas, & verſu poſteà concepi, quas corde itero, & pono.

Accedo, Diva, *trepidus ad ſacrum locum.*
Quem tu colis colenda; quem notum facis
Notum per orbem ab inclytis Miraculis,
Quæ magna, nova, & inuſitata iſtic patras.
En, Diva, *pronus aræ ego advoluor tuæ,*
Tu ſupplicem audi: tabet hoc corpus mihi,
Simulque corpore ipſa mens: & hæc negat
Munus ſuum, viceſque, & illud fungier,
Languore langueo, marceo, ego ſum lineæ,
Ut vera dicam, unius homo, tu ſubveni,
Aut ire jam mox Lipſio exſequias licet.
Sed ſubveni: rogamus hoc per gaudia
Quæ nuncius celeſtis attulit, ſacræ
Cùm partioni te parentem deſtinat.
Rogamus hoc, & per doloris intimi
Senſus, ubi oculis ipſa conſpexiſti tuis
Cruentum in alta filium fixum cruce.
Miſerere. Virgo *mitis es; fac, quod ſoles,*
Miſerere, Mater *es Dei; fac, quod ſoles,*

Sed nos porrò excerpamus, ut cœpimus. Ægidius Liebenus, pago Attenhovio, annos LXX. natus, ab anno ætatis vigeſimo, morbo Herculaneo, ſive caduco, laborarat: & invadebat maximè feſtis diebus, aut divino cultui deſtinatis. Remedium à Diva in loco flagitavit, impetravit, liber rediit, & manſit.

Franciſcus Elandius, Theologus, ſacerdos, & paſtor parochiæ (Curiam liceat dicere: ſed receptis utendum eſt) quàm Capellam Bruxellæ dicimus, diutino Hemorrhoidum fluxu exhauſtus, attenuatuſque eſt; tum & aſthmate cœpit divexari, ac mirificè ſuſpirioſus eſſe. Eò denique deductus, ut medici reſtitui poſſe abnegarent, & jam ab aqua intercute palam metus eſſe, cùm pedes, & tibiæ tumeſcerent, & quatuor ſic annos langueret, Balnea, fomenta, alia adhibita: ſed in pejus ibat: & anno ipſo ſexagæſimo tertio, apoplexia viſus corripi, & mens, & memoria minuta, lingua debilitata inutilem functioni ſuæ reddebat. Vertit igitur ſe ad Deum, & hanc Divam, quàm inviſit, veneratuſque eſt: & rediens, in ipſa via quaſi pruritum, & neſcio quem motum in tibiis ſentit, & prætereà novum aliquem in nervis, & toto corpore vigorem. Sed domi cùm eſſet, planè, plenèque ſanum ſe agnoſcit, omnia detumuiſſe, ſtomacho vim rediiſſe, Hemorrhoidas ceſſaſſe: atque ex eò die (fatetur, & ad Dei gloriam jactat) vires, & alacritatem: habuit, quàm vel in media ætate unquàm. Qui diffidit, ad ipſum ito: vivit, munus ſuum laude obit.

Illuſtri ſtirpe mulier, Martha Roſenbergia, Baronis Maximiliani Roſenbergii filia, maritum in militiam noſtram ſecuta fuerat, eoque amiſſo vidua agebat, annos circiter LX. nata: Hæc ante biennium femore fædè affecta fuit, à ſummo eo ad genu, tribus ulceribus grandibus, minoribus aliis in ambitu duodenis. Ac primùm, pudore muliebri, verecundata partes eas viris oſtendere, mulierum opera, ac cura uſa fuerat, fruſtrà, adhibuit, & chirurgum igitur, peritum, ſedulum: fruſtrà. Ad Divam confugit, ſomnio etiam monita, in quo ſibi viſa videre ſtatuam ejus in Colle, & aream, & aram, & ſilvam ambientem: atque experrecta, calore quodam, & inſtinctu interno impelli ſe ad iter ſentit. Paret, in ipſa via paulò melior facta; magis in loco maximè, cùm domum rediit, ulceribus omnibus, unico excepto, ſanis. Illud ipſum reliquum, biduo poſt ſponte coivit: ipſa quoque faſſa, & gloriata de meliore valetudine, & viribus, quam quibus anteà uſa fuiſſet.

Campaniam tractum Brabantiæ dicimus, latum, vaſtum: ab oppidis non ſic frequentem, pagis inſeſſum. Planities ferè & æquor eſt, ſed ſabuloſum, aut terra alibi fungoſa, & paluſtri: cæterùm humano cultu, & improba induſtria ſic emendatum, ut fruges fructuſque exuberent, etiam quæ accolis communicentur. Mirum dictu, & citrà fidem videatur; ab annis jam triginta ſeptem belli tempeſtas ferè ibi deſæviit; nec frangere patientiam hominum, aut avertere à ſoli ſui affectu, & cultu potuit. Omnia etiam nunc inter prædones, inter milites,

inter exercitus diſcurſantes, rapientes, vaſtantes, omnia, inquam, florent, rident, penè ut pace: iterùm dico, rem non niſi nobis credendam, ſenſuum fide. Sed in hac Campania Meerhoutium pagus eſt, & in eo quid pro re noſtra evenerit, verſa oratione dicam.

Petrus *erat, in Meerhoutio hoc,* Honsbergius,
Honeſtiores inter, à cenſu, & loco:
Nam judicem ſæpè, & Senatum egerat,
Is luſtra vitæ dena jam decurrerat,
Sed virium, & ſalutis integer ſatis.
Cùm ſubitus, ecce, languor invadit; dehinc
Paralyſis inſecuta, & artuum ſtupor.
Non brachia, manus, genua, tibiæ, & pedes
Officia facere: vivus ipſe mortuus
Jamnunc videri niſi, quòd os unum, & caput
Vigeret, & moveret, ò ſortem malam!
Et aſperabat acer aſſiduus dolor,
Qui nec quietem nocte, nec die daret.
Ipſine tantùm? immò & domeſticos ſimul
Habet inquietos, dum ferunt, dum transferunt,
A ſede in hanc ſedem, à thoro in alium thorum?
Medici vocati, induſtriè facere omnia:
Sed irriti, artem pertinax vincit malum.
Dimittit ergo, & mittit aliò ſpes ſuas,
Auditque Divam mira magna in Aſpero
Patrare Colle: adſpirat, & votum vovet,
Et venit illuc, in die Divæ ſacro;
Venitne? revoco, vectus in curru fuit.
Pervectus autem (turba populi ſic erat)
Attingere aut accedere aram non poteſt;
Sed, quod poteſt, illum ad Imaginem ferunt,
Piè oſculatur, corde, & ore ſupplicat:
O Numen! ecce membra profundi novo
Vigore, & omnia ad ſuum uſum vergere.
Primùm ambulare cœpit, & fulcris tamen
Inniti; at iſtis ſcipio ſuccedere;
Et ſcipioni mox pedes ſolvi, ambulat,
Viget, valetque plenè, & ad veterem modum.

Talem ſe domi, & ſuis exhibuit: talem paulò poſt in iſto ipſo Colle, ubi turbæ ſe oſtendit, & iterùm Divæ gratias lubens meritò egit. Accidit id autem Anno 1603.7. Idus Aprilis.

Tali etiam morbo (ſive Apoplexia fuit) Anna Verreyckia, ſuccubuit, in pago Tiſtelio, qui Sichemio eſt vicinus. Alius deinde oculorum acceſſit, & viſio planè deliquit. Quæ lamenta illius miſeræ? quæ mariti afflictio? nam ille hanc immobilem ferre, referre, ad lectum, focum, menſam, ſellam, opus habebat, & deſerere aliud penè omne opus. Tres menſes ita perſeverat: ad vicinam Divam itur, & quàm promptè, & certo auxiliarem! Vix venit, precata eſt, impetravit: & membra, atque oculos, id eſt, alteram vitam recepit.

Sed ades, ades, Lovanium, & tu claſſicum
Virginei honoris inſona mihi, & tubam.
Famæ ipſa ſedes, gloriæ domicilium,
Diffunde famam, gloriamque Virginis.
Experta ſæpè numen ejus es domi.
Experta nuper etiam Colle in Aſpero.
Quod tenui ego ore ediſſeram: tu ſpargere
Memento, & orbem implere nominis ſacri,

In hac urbe *Gualterus Gillonius* agit, qui vitreas ex opificio concinnat, vir ſanè bonus. Is Filiam trecedennem habebat: quæ triennio ante infeſtari ſtrumis, multiſque ulceribus cœpit, nec in unà corporis parte. Caput, brachia, manus, femora, tibiæ, pedes infici; ſed caput maximè; atque ibi genæ, oculi, os ipſum, aures obſideri, jutumeſcere, ſic ut non palpebras deducere, vix labia aperire, & ſpiritum emittere poſſet. Interim & diſrumpi alibi ulcera, tetro odore adſtantes fugare. Anxius angor parentum, atque ejus: & remedia doctè, & ſolicitè adhibita, non juvant. Tres, ut dixi, ſic anno afflicta jacuit: verè jacuit, nam & ingredi invalida jam erat. Ecce audit de benefica iſta Diva: & parentes rogat, permittere illuc iter, & ſi commodum eſſet, comitari. Annuunt, & pater vir validus, Vel humeris te meis filia, inquit, geſtabo. Hoc illa per pietatem deprecari, & Quinimmò pedes pater ibo, & Diva conantem juvabit. Certè juvit, juverunt enim, & alii cum iis vicini, filiam miſerantes: quæ feſſa, & languida, tardo gradu, ad votivum tamen locum venit. Precantur ibi omnes callidè, domum redeunt, & in viam puella animo alacrior eſſe, & corpore agilior, cantare etiam, quaſi veterum malorum ſana, aut certè oblita,

oblita, Cænat domi, dormit : manè ignara matre ſurgit, A ipſa ſe ornat, & veſtit (diu non factum.) deſcendit, & interulam linteam parentibus oſtendit mundam, & nullo pure contaminatam. Addit, dolorem omnem ſibi deterſum. Mirari parentes, & nondum credere, explorant linteum, inſpiciunt corpuſculum, vident omnia ulcera coiviſſe, immò vix cicatrices,aut veſtigia comparere. Tum ſeriò læti, grates Divæ acclamant : atque adeò mater eodem veſpere, certa ſanitatis, inter ſanos pueros eam in lecto depoſuit. *Idem ibid.*

Volens, ſcienſque omitto quædam : nam quis finis ſit ? & paritatem fugio, atque ex ea tædium. Dicam quòd in eadem Lovanienſi urbe mirabile evenit, & me gnaro, ac fortuito quodam teſte. Catharina Serraertia, nobili ſtirpe virgo, Antonii Equitis filia, Deo caſtitatem, & vitam vovit, in cœtu Virginum Lovanii, quas Albas (ab habitu) vulgò vocant, Divo Victori ſacras. Ea à nativitate ipſa clauda fuerat, pede altero breviore, & niſi cothurno adjuvaretur, inutilis ad greſſum. Cauſa in coxendice apparebat : ubi os emorum ſuo ſitu retrorſum eminebat, & velut gibbum reddebat, genu autem ſuppoſitum intrò curvabatur, & brevitatem faciebat, quam dixi, palmari circiter modo. Itaque altiuſculo B calceo neceſſum habebat attolli, aut nec ambulare. Quid quòd neque ingeniculare, & inflectere, niſi alterum genu poſſet ? Et res hæc nota domeſticis, & amicis omnibus, nota,& calceolariis, qui nuper aut olim tales illos cothurnos adaptaſſent. Nota & chirurgis, quos variè pater advocaverat, peritiſſimos : nec impendii parcus in filia: & opum largus. Omnia in naturam pro vano fuere : ita manſit ad annum quadrageſimum ætatis. Eo tempore, fama mota tot miraculorum, & ipſa ad Collem adſpiravit, ſed qui quæque præerant (inter eos Jacobus Janſſonius, Theologiæ Doctor, amicus noſter, & Virtutis) commeatum non indulgere, & monere acquieſceret in ſorte, quam Deus adſignaſſet ; & melius ità,ſalubriuſque cenſeret. Acquievit, donec ecce illuſtriſſimus Princeps Carolus-Philippus, Haurechii Marchio, Lovanium venit, pietatis ergo ad Divam illam iturus. Hanc invitat, & veniam impetrat : & cum conſorte ſua virgine curru illuc eſt vecta. Deiſthemium veſpere diverterunt, manè cum Marchione ipſa in eſſedo in Collem : & in via, Princeps iterrogare (ab ipſo audivi) Ecquid precari Divam pro ſanitate, & reſtitutione greſſus vellet ? Illa ambigere, & nativum hoc malum dicere : tot annos tuliſſe, & porrò laturam quamdiù Deo viſum eſſet : oratum autem pro ſalute, & quiete Eccleſiæ, ac patriæ, ſerio veniſſe. Jam in ſacello, jam ſacro interſunt : & alia ab aure ſiniſtra dolorem viſa perC cipere, qui totum corpus permearet aduſque femur, & tibiam adfectam. Nihil etiam ſuſpicari : ſacris peractis ad prandiolum inde in eſſedum, in eo Lovanium veniunt. Et quia veſpera erat, ſtatim (ut antiſtitam ſalutavit, & ſe exhibuit) ad cellulam properat : ſed enim in adſcenſu, advertit calceum illum altiuſculum impedimento ſibi eſſe, & gradum refrænare. Cùm aſcendit igitur, abiicit, & videt abſque eo (nunquam anteà factum) inſiſtere, & ambulare rectam poſſe. Percipit, & tenſiones quaſdam,& laxationes in tota ea parte : atque gaudio attonita, orationi incumbit, Deum, & Divam rogat, firmum,& proprium hoc bonum ſibi eſſe. Laſſa denique in lectulum incumbit, manè ſurgens, & experta, videt nihil cothurno opus eſſe, æquales ſoleas ſumit, & iis quaquaverſus inambulat, & Antiſtitam, ac ſodales gnaras facit, & ſe oſtendit. Mirari omnes, laudes dicere, & canere : denique fama in urbem, & ſtatim ad Marchionem deferri. Ego ei fortè aderam, inquit Lipſius,& ſeriis de rebus ſermones erant,conclavi etiam clauſo. Pulſant validè, ingreſſi Miraculum acclamant,& narrant : ipſe gaudio exſultare, & pias lachrymas manare. Mittere tamen Philippum Numannum (is tum unà venerat) virum D fidei, & probitatis notum, cum alio nobili, ut ipſi adirent, & oculis uſurparent, ſatis certò ita eſſet ? Clara, conſpecta omnia : ergo veniam impetrat, ut ſecum ea Virgo Bruxellam iret, & Sereniſſ. Iſabellæ, Principi noſtræ piiſſimæ fæminarum, ſiſteretur. Factum : & ipſa Virgo aſſiduè melior, non greſſum ſolùm, ſed modulum tibiæ (quæ attenuatior anteà) receperat, & gibbum in femore extantem amiſerat, ipſe calceus altior eo latus, quem & nos vidimus, & menſi ſumus, ad modum ſuprà dictum ; qui ad aram deinde D. Virginis appenſus, monumentum rei extat. Exhibuit ſe omnibus, etiam Illuſtriſſimo Antiſtiti Mechlinenſis Matthiæ Hovio, qui tum Bruxellæ : is inquiſivit, & comperit fraude omnia vacua, Deo plena. *Idem.*

Joannes Courteſius, inter belli adminiſtros, Antuerpiæ domum habet. Fortè in Campania noſtra, ad Hoochſtratam arcem, in rixa aliqua, ictus gladio punctim fuit : idque in manu E juxta pollicem, ſed ita, ut ad cubitum læſio, & vis pertingeret, ac nervi plerique brachii abſcinderentur. Dum curatur, inflammatio ſupervenit ; & medicantium ſententia decretoria, brachium amitti, atque abſcindi, aut vitam debere. Ille tamen mollior ad iſta, abnuere, & mortem potiùs eligere : ſed ante omnia ad Divam Hallenſem recurrere, & votum ei vovere. Audit ab ipſo voto, & intra paucos dies ſanitatem recipit, & vires : ita ut Antuerpiam rediret,& inde Hallas iret. Cæterùm plena illa ſanitas non fuit ; manus manca, & digiti tres priores rigidi, & ſine motu, manſerunt. Non impotentia hæc (nos ſcimus) numinis, ſe providentia fuit : & in partem venire Divam etiam Aſpricollem voluit, aut potiùs idem Deus, & Diva hìc etiam reliqua beneficia ire expunctum. Venit eò, invocat : globulos, quibus preces ſolet perſolvere, ſacerdoti offert, ut ſacram ſtatuam tangant. Dum recipit, manum laxatam videt, moveri, claudi, ut anteà, & nihil ex contractione ultra eſſe. *Idem.*

Plura ſunt, & ſciens quædam omiſi : quàm multa, & ipſi, qui beneficia adepti, gaudii ſui tacita conſcientia contenti, non retulerunt ad Actuarium, aut expreſſèrunt (Penè liquet) altera tanta dictis eſſe. At claudam jam (nec Diva tamen adhuc ſuum fontem :) ſed ego, inquam, claudam inſigni, & nobili F curatione hominis externis, quæ Belgicam fama, & admiratione ſui implevit. Erat Bruxellæ Joannes Clemens, filius Jac ob Lucernæ in mediis Helvetiis natus. Sed ad hæc loca cum patre venit, quo tempore Erneſtus Auſtriacus præerat : ò Princeps bonus, & bono noſtro natus, ſi Deo viſum diuturnum, eum hìc eſſe ! Venit autem ipſe pater, in comitatu Poloni viri nobilis, Tobiæ Merzkuæ, cui in peritia aliqua linguarum, pro interprete eſſet. Sed enim iſte Joannes à nativitate claudus, debilis, immò monſtroſa quadam facie corporis fuit. Tibiæ, & pedes contracti, & antrorſum verſi in pectus : ſic ut genua injungerentur, & adhæreſcerent, nec eſſet digitum, aut aliud immittere, tanquam nativa concretione. Immò verò cavitas, & velut putei, apparuerunt, ſub pectore, cùm ſanatus ille fuit. Iidem in utroque femore, & ventre, imo jungèbantur. Globoſum aliquod corpus diceres, nec ſtare, jacere, ambulare idoneum : ſedere tantùm, & ſedendo proſerpere, manuum aliquo nixu ; quæ fulcris etiam juvabantur. Hæc deformitas patri dolori, matri etiam exitio fuerat : quæ in partu obiit, cùm ventre exſecto Cæſo hìc prodiit, triſti fato. Talis igitur cum patre delatus inter impedimenta, variis Belgicæ locis, cum eo fuit, ubique viſus, deteſtatione, aut miſeratione, ut ingenium hominum erat. Pater varia tentavit, curando, & corrigendo : etiam ad inclytas thermas Aquiſgranenſium miſit : ſed dum ibi eſt, patrem amiſit, à prædonibus interfectum. Nova ca- G lamitas. Bruxellam rediit, paternam pecuniolam conſumpſit, benignitate aliena deinceps ſuſtentatus : ibi, Antuerpiæ, in ipſa Batavia, Zelandia : nam & ad hæc loca errabundus ivit. Tamen religione tactus ad nos rediit, & ſtirpe diurna victitavit : donec moti miſeratione aliqui civium picturæ artem diſcere ſuaſerunt, & magiſtrum repererunt. Diſcit, & inibi crebra fama motus capitur ad Divam noſtram venire, ſi fortè & ipſe opem, ac ſolatium referret. Vectus eſt curru, in Sacellum repſit, culpas confeſſione, & pœnitentia expiavit, ſacram hoſtiam ſumpſit : & paulo poſt angi viſus, & animo collabi, item dolores in omni corpore ſentire : denique ſudor à capite ad calces diffluere. Et dum conatur egredi, atque aere refici, magis increvit morbus : manſitque volens nolens totum diem in veſperam. Tunc ſolemnes Divæ laudes canebantur, & ipſe ante aram : ſentitque palàm à terra ſe attolli, & pedes antè contortos, & ligatos laxari, deiici : idque thorace, qui velabat, per vim diſrupto : & ſtatim directus, pedibus ſuis ſtetit. Ipſe attonitus ; quid alii ? in tanta mutatione, animo iterùm labi, & corpore viſus ; ſed erigitur, in ſede collocatus, H veſtes tegendo adferuntur, & feminalia inducuntur. Vires deinde magis, magiſque augeſcere : ipſæ tibiæ tenues, & exſuccæ, carne,& ſanguine impleri. Alterum autem mirum, vulnus in capite ante dies quindecim acceperat, nec id coiverat : coivit ſponte ipſo illo tempore, & cicatricem accepit. Hæc turbis ibi viſa, hæc Lovanii, cùm rediit, hæc Bruxellæ : & quis non concurrit ? Audivi medicos primarios, & talium haud temerè credulos, exclamantes, Verè hanc vim, & manum Dei eſſe. *Idem.*

CULTUS, ET HONOR DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ DEBITUS.

In Mariæ cultu retinendo eadem prorſus confeſſio, & conſuetudo

ſuetudo in Græca, & Latina Eccleſia apud omnes in unum riA tum conſpirantes ſemper viguit. Et apud Latinos quidem Fridericus tertius Princeps Auſtriacus, & Romanorum Imperator, feſtum aſſumptæ in cœlum Virginis religioſè admodùm venerabatur, ut omni ferè cibo, & vino in profeſto abſtineret ; idemque fundator multorum monaſteriorum fuit, quæ cenſibus etiam annuis liberaliter dotare curavit. Ejus verò mater Cimburga Maſſoviæ Duciſſa tam erat cultui divino dedita, ut jejuniis, & orationibus maceraret corpus, & de more loca ſancta religioſiſſimè inviſeret, ideòque ſub mortem etiam Cellas Mariæ, ut Auſtriaci vocant, religionis ergo petivit. Tum Albertus quartus, qui & ipſe Auſtriæ Princeps fuit, Mariam coluit reverenter, Chriſtianæ religioni, & Eccleſiaſticis cæremoniis adeò deditus, ut in Sanctorum templis unà cum Sacerdotibus pſallere, & cantare, ſolemniaque ſacra quàm devotiſſimè celebrare non erubeſceret. *P. Caniſ. l.* 5. *de Virg. Dei cap.* 28.

Henricus ejus nominis II. Imperator Bavariæ Dux, qui Claudi, immò & Sancti cognomentū accepit, ut florem ſanctæ Virginitatis integrum conſervaret, ſingulari Mariæ ope fuit adjutus : ſicut & Nauclerus fuſius explicat, in colenda Virgine tam ſedulus perſeveravit ; ut in mediis etiam peregrinationiB bus, ſi quando urbem aliquam ingrederetur, primam quidem noctem precandi gratia in illa æde conſumeret, quam B. Virgini ſacram fortè repeciſſet. Eidem calicem aureum immenſæ magnitudinis, ac duabus anſis inſignem fabricari, atque dicari curavit. *Idem ibid.*

Stephanus Hungariæ Rex, fidelis, & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus, & addictus : ſeipſum quoque, & regnum ſuum per votum, & oblationem in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam aſſiduis precibus contulit. Cujus ſacratiſſimæ Virginis honor, & gloria tam eſt celebris apud Hungaros, ut feſtum Aſſumptionis ejus, tacito proprio nomine, ſua lingua diem Dominæ appellent. Atque ut Rex piiſſimus propenſiorem tantæ Virginis defenſionem, & patrocinium poſſet promereri, in ipſa regiæ ſedis civitate, quam Albam vocant, in ejuſdem perpetuæ Virginis laudem, & honorem grandem, & inſignem, atque in primis celebrem Baſilicam condidit, opere ſanè mirifico, cælatis chori parietibus, pavimento marmore ſtrato. Quam Baſilicam qui vidit, teſtimonium perhibet dictis noſtris, innumera illic haberi palliorum, & eorum, quæ paramenta vocant, genera ; tabulas altarium non paucas ex auro puriſſimo, pretioſiſſimorum lapiC dum ordinibus conſpicuas : Euchariſtiæ ædiculam, quam Ciborium dicunt, arte mirabili ſupra Chriſti menſam exſtructam : conclave omni genere vaſorum Cryſtallinorum, onychinorum, aureorum, & argenteorum abundè refertum. *Ant. Bonfin. de Regib. Hung. lib.*1.*decad.*2.

De eodem Rege Stephano hęc ſubiicit *Bonfinius:* Aſſiduis divam Virginem precibus exoravit, ut ſe, ſuumque regnum perpetuo magna Mater patrocinio tueretur, cujus tutelæ ac poteſtati ſe, Hungaroſque omnes addixerat, omniaque ſuorum ſtudia, fortunaſque dicaverat. Quin etiam illud ſolenne promulgavit edictum, ut omnes diem B. Virginis, quo inter Divos relata fuit, inter celebratiſſimos haberent, Dominæque diem appellarent, ac cætera ejus feſta jejuniis, & ſingulari ſolennitate traſigerent : hanc demùm peculiarem ſibi, pientiſſimamque Patronam in cœlo, terriſque ducerent. Quadam nocte idem Rex cœleſti percitus inſtinctu, clam ſine comite è regia prodiit, diſtentos nummorum loculos ferens, quos miſerrimo Chriſti populo diſtribueret. Quò cum veniſſet, ſtipemque viritim daret, inter petulantes rogatores mox orta ſeditio, Regi per contumeliam ab avidioribus pleriſque barba D diſtracta, & ne parva quidem ex parte convulſa. At is nequaquam ex hoc ſuccenſus, immò ſolido quodam gaudio agitatus in Genitricis ædem properavit, ac mox ante aram in terram procidens, ingentes Divæ gratias egit : Regina, inquit, cæli, ac divum magna parens, unica Hungaricæ patrona gentis, immortales tibi gratias ago, quòd me, quem Regem eſſe voluiſti, milites tui hoc modo tractarunt, coluerunt que : Si has ab hoſtibus injurias accepiſſem, tuo auxilio ulciſcerer. Proinde hinc futuræ felicitatis auſpicia capio, neque irrita Filii tui verba ſcio fore : cùm ſuis Apoſtolis ne minimum quidem è capite capillum periturum eſſe dixit. *Bonfin. lib.* 1. *decad.*2. *de reg. Hung.*

S. Gerardus martyr, Epiſcopus Canadienſis in Pannonia, laudibus, & venerationi ſacratiſſimæ Virginis tantæ humilitatis obſequio ſe ſubdere noverat, ut ſi quis reus clàm à ſancti viri familiaribus edoctus, veniam ab ipſo peteret, per nomen matris Chriſti, mox audito nomine Matris miſericordię pater ſanctus lachrymis perfunderetur,& perinde ac ſi ipſe reus eſſet, à reo veniam peteret. Filium quoque ſuum illum E fore affirmaret, ſi eam ſincerè Dei crederet Genitricem. Ipſo authore, ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipſum matris Dei, ſed Dominam eam vocant. Si ſit autem pronunciatum illius nomen, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus, ſeſe inclinant. Atque adeò Pannonia à Sancto Rege ſuo Stephano familia S. Mariæ appellata eſt. *Sur. in vita cap.* 3. *die* 24. *Septemb.*

Nobilis Domina Garſenda Elzearii Comitis nutrix, cùm aliquando Dominum pro eo in Eccleſia noctu deprecaretur, hanc vocem audivit : Juveni huic, pro quo tam multum oras, noveris me matrem meam dediſſe magiſtram : nihil igitur de illo dubites. Ad quas voces illa nimium obſtupefacta, ubi ad ſe rediit, rogavit Dominum, ut ſi illuſio eſſet, abſcederet : ſin autem res vera, ſe certiorem inde redderet. Altera die cùm Miſſæ ſacrificio piè, ac devotè intereſſet, poſt conſecrationem corporis auribus vocem ejuſmodi ad ſe dirigi ſenſit : Quæ ſuperiori nocte de juvene Elzeario tibi dixi, ea non ambigas vera,& certa eſſe. Illa verò confeſſario ſuo viro valde religioſo, fratri Joanni Juliano ea indicavit. Is porrò ſecretò ex Elzeario percontatus eſt, quem in precibus ſuis modum, formamque ſibi præfigeret, & quem è Sanctis ſibi præcipuè patronum de- F legiſſet. Reſpondit ille : Equidem Virginem ſanctiſſimam mihi patronam, & advocatam elegi : cùmque ad orandum me præparare volo, indignitatem, & vilitatem meam priùs conſidero : atque ita Matri gratiæ me commendans, eam precor humiliter, ut ea, quæ ipſi, & ejus benedicto filio grata ſint, ponat in corde, & ore meo : ſimulque quanta poſſum animi pietate ſemel ei offero Angelicam ſalutationem. Ea dicta, nunquam mihi deeſt rerum divinarum materia. His dictis abundè comperit confeſſarius ille ; veriſſima eſſe quæ à Garſenda acceperat. *Surius* 27. *Septemb. in vita cap.*15.

Sanctiſſimam Chriſti matrem inter alios ſanctos, ita ut par erat, ardentius amabat Hedvvigis Duciſſa Poloniæ, beatæ Elizabeth, quæ nupſit Lantgravio Turingiæ, matertera, atque ea cauſa illius apud ſe parvam imaginem ſemper ferebat, eamque ſæpiùs geſtabat manibus, ut ex amore, crebrò eam poſſet intueri, & inſpiciendo ad ejus amorem ſe poſſet ampliùs excitare. Ea imagine cùm interdum benediceret languidis, illicò curabantur, uti etiam miraculorum virtute cunctis innoteſceret, ad quantam meritorum celſitudinem illa jam perveniſſet, quæ ferventi amore incitata hanc Matris Dei imaginem ſedulò circumferret. *Surius in* G *vita* 15. *Octob.*

Lutgardis virgo admodum pia : è celeberrima Tungrorum civitate oriunda, quadam nocte cùm in Cantico, Te Deum laudamus, verſum illum ; Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum, diceret, ei beatiſſima Virgo Maria gratulabunda apparuit, intellexitque Lutgardis verſum hunc illi gratiſſimum eſſe, quo commemoratur, ipſam Dei filium concepiſſe. Atque hoc illa mihi tanquam filio dilecto revelans, admonuit, ut quoties verſum illum dicerem, toto me corpore ad laudem ſacratiſſimæ Virginis inclinarem. Quod etiam diù feci, hodieque facio, & ut idem faciant, lectores meos omnes adhortor. *T. Cantiprat. lib.*2.*cap.*24.*Surius* 16. *Junii.*

S. Odilo Abbas Cluniacenſis, inter cæteros Sanctos erga Beatam Dei Genitricem tam ardenti pietate flagrabat, ut quotieſcunque Mariæ nomen proferri audiret, profundè ſeſe inclinaret : & conſtitutus in choro pſallentium, cum ad illum veniretur ex modulantium alternatione verſiculum ; (Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti H Virginis uterum) in terram ſe poſterneret, ſicque per corpus oſtenderet, quibus deſiderii cœleſtis in mente facibus æſtuaret. *P. Dam. in vita ejus.*

Laudat Franciſcum ſuum *Bonaventura*, & virum planè Apoſtolum, divinaque charitate flagrantem meritò laudat, quòd Matrem Domini Noſtri Jeſu-Chriſti ineffabili complecteretur amore, ut quæ Dominum majeſtatis fratrem noſtrum effecerit, & per quam ſimus nos miſericordiam conſecuti : In ipſa, inquit, per Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui, ac ſuorum advocata conſtituit, & ad honorem ipſius, à feſto Apoſtolorū Petri,& Pauli uſque ad Feſtum Aſſumptionis devotiſſimè jejunavit. Eam verò his verbis deprecabatur : Sancta Maria Virgo, inquit, non eſt tibi ſimilis nata in mundo in mulieribus : filia,& ancilla altiſſimi Regis patris cœleſtis, Mater ſanctiſſima Domini Noſtri Jeſu-Chriſti : Sponſa Spiritus ſancti : ora pro nobis cum S. Michaele Archangelo, & omnibus Virtutibus cœlorum, & omnibus Sanctis, tuum ſanctiſſi-

R mum

mum filium dilectiſſimum Dominum noſtrum, & magiſtrum, A Amen. Et rurſus eandem Deiparam ſic invocat vir integerrimus. Sancta Dei Genitrix dulcis, & decora, Regem morti traditum filium tuum dulciſſimum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro nobis exora, ut ipſe per ſuam piiſſimam miſericordiam, & clementiam, & virtutem ſanctiſſimæ incarnationis, & mortis ipſius acerbiſſimæ nobis indulgeat peccata noſtra, Amen. *In vita S. Franciſci, cap. 9.*

Excurrit unus ſub Epiphaniorum feſtum in oppidum Toparchæ cujuſdam excellenti pietate, qui olim educatus inter convictores Viennæ: uxorem hic habebat ſterilem, nec ſatis firmam in fide, cum veſceretur cibis illicitis. Perſuadet Mulieri noſter: ut ſi liberos velit, habeat hunc ſaltem honorem Virgini, ut carnibus ſabbato abſtineat, divinam illi opem ſub tanto patrocinio affuturam. Fidei reſpondet eventus, uno partu geminos marem, & fœminam enixa, & agnoſcens divinum beneficium uterque conjux aureæ caſulæ, caliciſque donum miro artificio Deiparæ, quæ colitur in noſtro templo, ex voto dedit. Hæc ille de muliere cui profuit diei abſtinentia ſeptimi, non quidem Judaico ritu, ſed Eccleſiaſtica propter Virginem pietate. *Boniſ. hiſt. virginal. lib. 3.*

B EJUS VIRGINITAS ADSERTA, ET DEFENSA.

E Gallia Gothica Pelagius quidam, & Helladius profecti veteris Helvidii inſaniæ ſcintillas in Hiſpania exſuſcitare cœperant, Mariam Virginem negantes perpetuò virginitatem retinuiſſe. Horum furorem ne patientia confirmaretur, audacia, aut mora creſceret malum, ſibi Illefonſus impugnandum ſumpſit cominus diſputando, eminus libro evulgato, in quo perpetuæ virginitatis Mariæ patrocinium ſuſcepit. Ea diligentia erroris ſemina diſſipata, compreſſique nefarii eorum impoſtorum conatus: operæ navatæ merces veſtis de cœlo allata fuit. Ad nocturnas preces perſolvendas contendebat menſe Decembri, ipſa nocte, quæ feſtum Annunciationis diem nuper à Patribus inſtitutum præcedebat: cùm templum maximum viſum eſt majori fulgore micare, quàm ut oculi mortales ferrent. Tunc cæteris aliò atque alio delapſis pręterrore, ad aram ipſe progreſſus, ac nixus de more genibus preces fundens in cathedra, unde is ad populum concionari erat ſolitus, aſtantem beatam Virginem in auguſtiori, quàm pro humano habitu ſpecie vidit, his cum verbis compellantem: Cultæ C in tuo corpore virginitatis cum mentis puritate, fideique ardore conjunctæ, noſtræque virginitatis defenſæ præmium erit ex cœleſti theſauro munus allatum. Inter hæc verba veſtem ſuis manibus capiti inſeruit. Hac inquiens, filii mei, meaque, quæ toto anno recurrunt, feſta celebrato: Comites receptis à pavore animis cùm ad Præſulem accurriſent, toto jam ſpectaculo ex oculis ſublato, ferme exanimatum invenerunt. Tum metus, tum admiratio vocem intercluſerat, oculi tantùm in lachrymas ſolvebantur: quòd neque pares beneficio gratias agere poſſet, neque Virginem alloquio morari. Sic nimirum ſuſceptas pro pietate actiones conſuevit divinum numen munerari. Cixilla Illefonſi ſucceſſor hæc omnia memorię propagavit ex ore Urbani Archiepiſcopi item Toletani, atque Evantii Archidiaconi accepta, quibus per ętatem licuit rei geſtę miraculo intereſſe. Lapis, ubi beata Virgo veſtigio conſtitit, in ipſo templi Toletani aditu monſtratur, clatris ferreis incluſus, rei tantæ monumentum, *Jo. Mariana lib. 7. cap. 10. ex Alfonſ. à Carthagena Ep. Burg. in Anacephalæoſi Reg. Hiſpan. cap. 38. Roderic. Tolet. lib. 2. de rebus Hiſp. cap. 22. æra 713. Roderic. Santius p. 2. rerum Hiſp. cap. 31. & Bar. tom. 8. ad ann. 657.*

D Cùm Ignatius Lojola paulò ante converſionem ex patria in montem Serratum proficiſceretur, cum cœpto itinere pergentem, & rectà eò progredientem Saracenus quidam, ſive Maurus, aſſecutus eſt, (erant per id tempus in Hiſpania Tarraconenſi adhuc aliqui ex antiquis ejus gentis reliquiis) Cùm unà irent, incidit, ut fit, illius ſermo de virginitate beatæ Virginis Mariæ, quam cùm in conceptu Filii concederet, Maurus à partu negaret, ad eamque rem naturales rationes aliquot adferret, neque ad veritatem flecti poſſet ab Ignatio; celeriter præceſſit, ſolùmque Ignatium reliquit, hærentem diù, multumque dubitantem, utrùm ab ſe pietas Chriſtiana exigeret, ut Maurum conſequeretur, & pugione confoderet, quòd de beatiſſima, & immaculata Virgine coram ſe ignominiosè locutus fuiſſet. Homo quippe militaris, & fallaci veri honoris imitatione olim deluſus, dedecori ſibi eſſe ducebat, ſi quid à religionis Chriſtianæ inimico, ſe audiente, de inviolata ſacroſanctæ Virginis integritate impunè detraheretur: quæ quidem cogitatio in ſpeciem pia, diù, multùmque rudem tum Chriſti militem torſit, in eamque deliberationem tandem induxit, ut ubi ad bivium, unde è via publica ad oppidum vici- E num Maurus declinarat, conſtitiſſet, habenas mulæ, qua vehebatur, permitteret, & ſi ad locum, ubi Maurus erat, diverteret, quæſitum illum, atque inventum interficeret; ſin rectà pergeret, omitteret: atque ita divina providentia factum eſt, ut jumentum lata, facilique via prætermiſſa ſuum iter ſequeretur. *Petr. Ribad. l. 3. de vita ejus c. 3.*

Cùm in ſacro Tridentino Concilio quæſtio illa graviſſima de originali peccato, cujus expers fuit Virgo ſanctiſſima, agitari cœpta eſſet, Jacobus Laines Societatis Antiſtes, & ex Romani Pontificis Doctoribus unus ſententiam rogatus, quòd cùm quartana febris graviter ageret, pro argumenti dignitate loqui ſe poſſe negat; ſed tamen ſuam utcunque dicturum eſſe ſententiam pollicetur, & quàm breviſſimè propter morbi moleſtiam loquuturum. Itaque in ſuggeſtum aſcendit, ſed præter ſpem, & opinionem firmis lateribus agit, treſque horas integras in virginis defenſione conſumit, quam ab omni originis vitiatæ labe puram fuiſſe exquiſitis teſtimoniis, rationibuſque diſſeruit: in ipſo autem orationis ſuæ fine robuſtiorem ſe ſenſit, quàm cùm exorſus eſſet dicere. Eam ille tanta morbi gravitate fortitudinem clementiſſimæ Dei matri referebat acceptam, pro cujus immunitate pugnaviſſet. Quamobrem F ſancta Synodus, ſacerque ille orbis terræ Senatus perſuadente potiſſimùm Laine, honorifica illa de Virgine concepta decrevit, & Sixti quarti conſtitutionem confirmavit. *Petr. Ribaden. lib. 3. de vita ipſius Jacobi cap. 17.*

Virginitatem negantes puniti. ☞ *Vide infrà.*

B. VIRGO AB INFIDELIBUS ETIAM HONORATA.

Non ſine certa numinis providentia factum arbitror, ut multo ante Mariam natam Sibylla ſit Ethnicis vaticinata, de noſtra Virgine canens, & ſalutationis Angelicæ initio perbellè conſonans.

Εὐφράνθητι κόρη καὶ ἀγάλλεο· σοὶ γὰρ ἔδωκεν
Εὐφροσύνην αἰῶνος, ὃς οὐρανὸν ἔκτισε καὶ γῆν.
ἐν σοὶ δ' οἰκήσει, σοὶ δ' ἔσεται ἀθάνατον φῶς, hoc eſt, ſi ſimpliciter interpretari velimus:

Lætare, & exulta puella, tibi enim gaudium donavit æternum, qui cœlum, & terram condidit. Is verò in te habitabit, tibique erit immortale, & indeficiens lumen. P. Caniſ. lib. 3. de G *B. Virg. cap. 3. Zoares tom. 1. in 3. par. D. Thomæ.*

Cæterùm omnium Sibyllarum de Virgine Maria vaticinia require *apud Joan. de Carthagena, l. 6. de arcanis Marię, hom.* 17

Albumazar inſignis Aſtrologus, etſi alienus à fide, tamen præclarum Virgini teſtimonium dedit; cujus in ſcriptis hæc verba leguntur: In prima façie ſigni virginis oritur in terra virgo munda, puella immaculata corpore, decora, ore venuſta, cultu moderato, crine prolixa. Et verò, ne qua in hominum animis ſuſpicio relinqueretur, ipſe providi, & quam Virginem deſcriberet, digito ipſe monſtravit, nempe hanc eſſe illam Virginem, quæ puerum in Judæa nutriat, & paſcat, eumque puerum à quibuſdam Jeſum vocari, quem nos, inquit, Græcè Chriſtum nominamus. *Ibid.*

Jam verò quemadmodum Chriſtum Mariæ filium, ut divinum hominem agnoſcunt Mahometani, miriſque laudibus extollunt, ita de ipſa etiam Maria, licèt eam Dei Genitricem pernegent, tamen, ut hoc etiam adiiciam, honorificè admodum, ac reverenter loquuntur. Nec mirum, quando in ſuo Alchorano, quo nihil habent antiquius, illam frequenter H laudari, & ab ipſis etiam ornari Angelis certiſſimè deprehendunt. Etenim Angelorum hæ voces illic recitantur: *O Maria cunctis viris, fœminiſque præclarior, ſoli Deo perſeveranter ſtudens.* Ac rurſus ab eodem dicitur: *O Maria, Deus utique elegit te, & purificavit te: elegit te claram ſuper mulieres ſæculorum. O Maria, Deus annunciat tibi verbum ex ipſo: nomen ejus* Jeſus *Filius* Mariæ, *& erit honorabilis in hoc ſæculo, & in futuro.* Quid autem eo luculentius. Maria *ſe dirigendo nil malitiæ, aut pravitatis operata eſt: unde noſtram ei animam inſufflavimus.* Adeò enim Mariam Alchoranus extollit, ut inter fœminas omnes illam ſanctiſſimam, & lectiſſimam, ſed & Virginem, ſimulque Chriſti matrem eſſe confirmet, multaque de illa recitet, quæ cum literis Evangelicis quadrare videantur. Certè non obſcura, & illa Mahometis vox eſt: *E viris multi perfecti fuerunt: nulla autem ex mulieribus unquam perfecta fuit, niſi* Maria *mater* Jeſu. Et quoniam non ſolùm Alchoranus ſed etiam liber Alchoran magnæ apud iſtos auctoritatis eſt, audiant ex eo etiam, qui nos non audiunt, Dei vocem ita ſonantem:

nantem: *Nullus de filiis Adam naſcitur, quem non tangat* A *Satan: & ideò plorat vociferans ex ejus tactu præter* Mariam, *& filium ejus. Ibid. lib. 3. cap. 20.*

Ac memorat *Antonius 3. p. Summæ,* Virginis Mariæ imagines viſas non ſemel à Turcis adorari, thure adoleri, & puniri qui eam proterunt maledictis, aut illius Icones contemnunt.

Salvaticus p. 2. de Virtut. Verbi Dei cont. Hebræ. c. 14. refert quondam in Catania Idololatras in magna veneratione habuiſſe virginem quandam infantem propriis manibus bajulantem, qui interrogati quare ſingulis annis imaginem illam per publicas plateas circumducerent? reſpondiſſe teſtatur id in honorem, & cultum cujuſdam virginis præſtare, quæ virgo manens peperit filium ſuum.

Beleſphoret. in ſua Coſmogr. ſimile quid accidiſſe narrat aliis nationibus, quæ ex antiqua traditione idipſum factitabant, quam à Sybillis originem duxiſſe putabant.

Ægyptiacæ fœminæ à tempore Jeremiæ Prophetæ, ſolitæ fuerunt Virginem cum infante ubera ejus ſugentem cultu religioſo venerari: cujus rationem ab eiș poſtulanti Regi Ptole- B mæo reſponderunt ab antiquiſſimo tempore eam conſuetudinem viguiſſe, per Jeremiæ Prophetæ prædicationem, parituram Virginem eis prædicantem. *Auctor hiſt. Eccleſ.*

Conſtantinopoli inventum eſt ſepulchrum, in quo lamina quædam aurea inventa fuit, cum hac inſcriptione: Chriſtus naſcetur ex Virgine, & credo in eum: temporibus Syrenæ, & Conſtantini rurſum me videbis, ò ſol. *Zon. Annal. lib. 1. Fulg. lib. 1.*

Refert *Sur. tom. 4. & Bonif. l. 1. hiſt. Virg. c. 2.* de S. Procopio, quod cùm coram Dioclet. Imp. de ſua Religione cum Flaviano judice contenderet, hæc objecerit: Si oraculis, Flaviane, fidem habes, Dodonei Jovis, & Apollinis, tum Pythii, tum Delphici, & Ammonis, quibus tui ſimiles credunt. Multa ea his omnibus promere mihi liceret, ſed brevitatis cauſa duo Delphici Apollinis reſponſa teſtabor. Nam de humani generis vindice, & liberatore Chriſto Jeſu, deque ejus Matre Virgine, ita Jaſoni nil tale ſuſpicanti reſpondit: cùm enim Argonautarum dux ille à Græcis Poetis celebratus, de templo, quod Athenis in arce conſtructum eſſet, Apollinem Delphis conſuleret, in hunc modum prædixit: Phæbe vates, cujuſnam erit hæc ædes? cui ſit in poſterum ſervitura? quæcunque ad honeſtatem, virtutemque vos incitant, facite, ego autem tres C cupio, Deum unum regnantem apud ſuperos, cujus Verbum ab interitu alienum, conceptum in ſimplici Virgine, quod tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium omnes capiens, eos adducet donum patri: hujus erit hæc ædes, Maria autem erit nomen ejus.

Quis neget de eadem Virgine ceciniſſe *Virgilium in Bucolicis* jam tempore Auguſti Cæſaris:

Jàm redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

A Judæis.

Non hìc agimus de Judæis fidelibus, quales fuerunt multi Prophetarum, qui de B. Virgine præclara prædixerunt: ſed de infidelibus, quorum pleroſque ſcribit *D. Bonaventura in ſpec. Virg.* dicere conſueviſſe, hoc mirabile fuiſſe in Maria, quod cùm eſſet pulcherrima, à nullo unquam viro fuit concupita.

Petrus Galatinus de arcanis Cathol. veritatis cap. 4. tradit, Rabbi Accados, quem magiſtrum ſanctum Judæi vocitabant, dixiſſe: Sicut Abacus eſt armarium, quod principes conficiunt, ut auri, & argenti vaſcula in eo recondant, ſuamque gloriam & opes cunctis oſtendant; ita Regis Meſſię Mater erit armarium, D quod Deus ipſe conſtruxit, ut Meſſias in ea ſedeat, ad majeſtatis ſuæ gloriam mortalibus omnibus monſtrandam. Addit idem Auctor, priuſquam Hieremiam hunc Rabinum dixiſſe: Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum. Et Rabbi Simeonem dixiſſe illud Salomonis: Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te. Similiaque ex aliis libris ſcripta tribuit Rabbi Barachias, Rabbi Jodam, Rabbi Moyſes Adarſan, Rabbi Kimki, Rabbi Humna, & Rabbi Jodem, qui multa in laudem Virginis edixere.

Ab Hæreticis.

Etiam hæretici tam veteres quàm novi, veritate convicti, non exigua Virgini virginum encomia ſcriptis ſuis detulerunt.

A Manichæis exordior. Hi nonnulla ſupra commune humanum genus eximia encomia de B. Virgine prædicarunt, eamque ad Angelicam dignitatem ſublimarunt, teſte *D. Th. 3. ſent. d. 4. q. 2.*

Martinus Lutherus, peſtifer ille noſtri temporis hæreſiarcha. Virgini aliàs vehementer infeſtus, ſui velum oblitus, hoc Mariæ teſtimonium alicubi præbet: Dignum & juſtum erat Mariæ perſonam ab originali peccato reſervari, de qua Chriſtus ſumpturus erat carnem, quæ omnia peccata ſuperaret. E *In poſtilla majori circa Evang. Feſti concept. Mar.* Ejuſdem quoque illa vox fuit: Nulla mulier tam ſancta eſt, nec fuit, nec in poſterum erit, quæ fructum ventris ſui benedictum parit, quando nulla citrà voluptatem, & peccatum concepit. *Idem in Feſt. Conc. Mariæ.*

Calvinus quoque perfidus Eccleſiæ Cathol. inimicus, hanc Virginis commendationem ſcripſit: Nunquam de me, ut in Domino confido audietur, quaſi averſer Mariam, erga quam minus benè affici, reprobatæ mentis certum exiſtimem indicium, *in harmonia Evang.* & infra ſubdit: Quæ ſupra omnes, quæ Regina eſt omnium, quam Deus præ omnibus honoravit, cui ſimilis non reperitur alia, quid non aſſecuta, quòd eminentiſſimam probet?

Bucerus item ſic inter alia habet: Pius animus de Maria, vaſe tam ſancto, atque electo, ut Chriſtum nobis pareret, nonniſi ſanctiſſima cogitabit. *In expoſit. cap. 1. Matth.*

Si Maria benedicta eſt inter omnes mulieres, & beata ab omnibus prædicanda nationibus, infelices certè ſunt Judæi, F qui ipſam nunquam conviciis laceſſere deſinunt: infelices ſunt pſeudo-Chriſtiani, qui Judæis nihilo meliores, ſua laude ipſam ſpoliant. *Bullingerus in ſerm. de B. Maria.*

Oecolampadius *ſerm. de laudando in Maria Deo,* tot, ac tanta de B. Virgine præconia in lucem edidit, ut non ille, ſed quiſpiam ex noſtris Catholicis loqui videatur. Sic enim ait: Rectè admonet Propheta, ut in Sanctis laudemus Deum. In quo autem plaſmate tam laudandus Deus, ut in Virgine Maria, quam hodie nō ſolùm inhabitare tanquam templum ſacratiſſimum, ſed ex ea, & in ea carne aſſumpta, homo fieri dignatus eſt? Cœli enarrant gloriam Dei, ne invideant; quem ipſi continere non poterunt, Virginis utero clauditur. Obſtupeſcant Angeli quod ipſis præteritis, Rex eorum ad Virginem divertit. Et quomodo non per Mariam laudabilis Deus, in qua ſe oſtentat graviſſimè, &c. Plura habet his ſimilia eodem loco.

Ab Impiis.

Petrus Gnaphæus Præſul Eccleſiæ Antiochenæ, ut tradit *Niceph. l. 15. hiſt. Eccl. c. 18. & Damaſ. l. 3. c. 10.* homo audax, & turbulentus, & in fide claudus, tamen legem tulit de Maria Deipara ſuppliciter invocanda; & in ſacris precationibus nominanda: nihil ille novum, inuſitatumque ſancivit, quandoquidem ab Eccleſia condita Chriſtiani Deiparam ſemper im- G plorarunt, religioſiſſimiſque & animis, & vocibus appellarunt, ſed quod in ſua provincia, vel injuria hominum vel injuria temporum, vel inſania hæreticorum fieri deſierat, veritate impellente, qui impius erat, revocavit. Uſque adeò verum eſſe demonſtratur ipſius Virginis de ſe Vaticinium, Beatam me dicent omnes generationes.

☞ *Vide ſupra, Donaria Ædi Lauretanæ miſſa.*

Elogia, & Epitheta Ss. Patrū, ☞ *quęre in fine pręſentis Loci.*

* INVOCATIO MARIÆ VIRGINIS.

Ac Primùm.

In Universali.

D. Ephrem *Syrus in oratione ad ſanctiſſimam Dei Genitricem* ait: Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei ſponſa, Domina noſtra, unica ſpes deſperatorum, oppreſſorum ſubſidium, & ad te currentium auxilium præſentiſſimum, omnium denique Chriſtianorum profugium: meam ſordidiſſimam, indigniſque labiis expreſſam orationem admitte, nec non tuum quidem filium, meum autem herum, & Deum, materna tua liberalitate volens exora, ut mihi quoque mitiſſima illa ſuæ pietatis viſcera reſeret, & poſthabitis innumerabilibus H peccatis meis, ad pœnitentiam me convertat, probèque ſua complere mandata concedat. Adſis mihi ſemper, Virgo miſericors, clemens, & benigna, in præſenti quidem vita fervens protectrix, & auxiliatrix, hoſtiles impetus repellens, & me deducens ad ſalutem, ac in ſupremo vitæ memento miſeram meam animam conſervans, & tenebroſos malorum dæmonum aſpectus ab ea procul abigens; in terribili autem die judicii ab æterna damnatione me liberans, poſtremò, inacceſſæ tui filii, & Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quam per interceſſionem, favoremque tuum Domina mea ſanctiſſima, Dei Mater, te etiam, atque etiam oro, aſſequi valeam gratia, miſeratione, & humilitate unigeniti tui filii, &c. *S. Ephrem ſupra.*

D. Auguſtinus inter cœtera ſic reverenter B. Mariam affatur, ac invocat: Quas ergo tibi laudes fragilitas humani generis perſolvat, quæ ſolo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Accipe, quod offerimus, impe-

tra quod rogamus, excuſa quod timemus ; qui nec potiorem meritis invenimus, quàm te, ad placandam iram Judicis, quę meruiſti eſſe Mater Redemptoris, & Judicis. Succurre ergo miſeris, juva puſillamines, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro Monachorum Choro, ora pro devoto fœmineo ſexu ; ſentiant omnes tuum levamen, quicunque devotè celebrant tuum nomen. Sit tibi compaſſio ſuper afflictis, ſit pius affectus ſuper cælorum peregrinis : Et cùm te lætantem ſemper aſpicis, fletus noſtros, quæſumus, ipſa ad Deum perferas, eumque ut filium Proprium pro nobis interpelles. *Aug. Serm. de Aſſumpt. Virgin.*

Huc præterea ſpectat Archiepiſcopus Cantuarienſis Anſelmus, magnum ſui ſæculi decus, ac tunc ferè princeps Theologorum, ſingulari vitæ ſanctitate præcellens. Is cùm ſedulus cultor Virginis eſſet, de illius excellentia librum ſcripſit, in quo ſic eam invocat : Subveni nobis, inquit, Domina piiſſima, & non conſiderata peccatorum noſtrorum multitudine, velle tuum ad miſerendum nobis inflecte. Eja ſuccurre oramus, ut laus, quam per tot ſæcula dignè poſſediſti, continua tibi duret in gratia ipſa, qua mundo perdito ſubveniſti. Tibi ergo nos commendamus, tu procura, ne pereamus : & alibi: Pie Domine, parce ſervo matris tuæ. Pia Domina parce ſervo filii tui. O tu illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua fons eſt ortus miſericordiæ, ne contineas, precor, tuam veram miſericordiam, ubi tam veram agnoſcis miſeriam. *Anſal. lib. de excell. B. Virg. c. ult.*

D. quoque Bernadus hanc ſacram Virginem hac oratione invocavit, ac invocandam docuit. Domina noſtra, inquit, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræſenta: Fac, ò benedicta, per gratiam, quam inveniſti, per prærogativam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti : ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis, & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis ſuæ. Et rurſus: Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam: In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. *Serm. 2. de adventu Domini, &c.*

Accedat & totius Africæ lumen, & fortiſſimus ille Chriſti Martyr Cyprianus, de quo præclara ſcribit *Greg. Naz.* atque inter cætera ſequentem hiſtoriam refert: Cùm hic Cyprianus à fide Chriſti adhuc alienus, ac rebus magicis omnino deditus eſſet, amore Juſtinæ Chriſtianæ virginis exarſit, & in illius expugnanda pudicitia plurimùm laborans, ut cæcus, & inſanus eſt amor, etiam dæmonem ſibi adjutorem aſcivit. Virgo etſi turpem ejuſmodi amorem deteſtaretur (Chriſto enim ſponſo ſe totam conſecrarat) tamen præſentes Satanæ technas, & ardentes libidinis faces non potuit non perſentiſcere, multùm his, ac graviter exagitata. Proinde, ut par erat, ad pudicitiæ ſuæ cuſtodem, & tutorem Deum ſe convertit, ſimulque Mariam caſtiſſimum, & clariſſimum Virginum decus ſupplex obſecravit, ut ſibi periclitanti auxilium ferret, corpus interim jejunio, atque humi cubitatione, quæ ſunt continentiæ arma, caſtigans, ut in hoc certamine hoſtem impurum vinceret potiùs, quàm vinceretur. Quid multis? non irrita fuit Mariæ invocatio, per quam propitius afflictæ Virgini adfuit Deus, ut & hoſtis devictus abſcederet, & Cyprianus è ſtulto amatore Chriſtianæ ſapientiæ non modò diſcipulus, ſed etiam, ſicut Auguſtinus vocat, Doctor ſuaviſſimus, & martyr beatiſſimus efficeretur. *S. Greg. Naz. in laud. Cypriani Martyris.*

B. Antonius Luſitan. Seraphicæ D. Franciſci familiæ decus, & lumen, cùm quadragenarii jejunii nocte quadam diurnis occupationibus feſſus ſomno ſe pauliſper dedere voluiſſet, à diabolo compreſſis faucibus nihil propriùs factum eſt, quàm ut ſtrangulatus animam ageret. At Antonius Beatiſſimæ Dei Matris nomine invocato, ſignoque crucis fronti impreſſo, atque eo illo hymno pronunciato ; *O glorioſa Domina*, tortorem dæmona vertit in fugam: Cùmque ſe proripientem humani hoſtem generis videre cupiens ſanus jam, ac liber oculos ſuſtuliſſet, totam illam cellulam, ubi cubabat, auguſtiſſimi luminis vidit ſplendore fulgentem. Morte propinqua eundem hymnum (O glorioſa Domina) cecinit, & pernecceſſario tempore patrocinium Virginis imploravit. *Surius in vita cap. 14. die 23. Jun.*

Vixit circa ann. Dom. 1094. non procul ab urbe Laudunenſi quædam Mulier, quæ arcanum homicidii crimen à ſe commiſſum in exomologeſi detexerat Sacerdoti, ac proinde poſt acceptam mortis ſententiam, ut flammis ardentibus traderetur, ad ſupplicii locum ducebatur. Et quoniam per Deiparæ templum iter habuit, ubi toti populo peccatum ſuum confeſſa eſt, Virgini Matri magna etiam fiducia ſupplicavit, ſeque totam ejus patrocinio commendavit. Hinc degreſſa eſt, & jam in ignem ſemel, atque iterùm conjecta, tantùm Dei, & Virginis beneficium ſenſit, nihil ut ab igne quamvis copioſo, & vehementi caperet detrimenti, immò non modò carnem, ſed veſtem etiam ab omni flammarum injuria ſervavit ſemper illæſam. Cùm hinc admiratio ingens animos populi occuparet, ad dictum Mariæ templum curſitatum eſt, ut unà cum bona muliere Deo, & Virgini gratiæ agerentur, tantumque miraculum ad Virginis invocationem geſtum communi omnium lætitia celebraretur. *Sigibertus in Chronico anni 1094.*

Addere his libet *Baptiſtæ Mantuani* votum ad eandem miſericordiæ Matrem carmine expreſſum. *1. Parthen.*

Tu mihi diva fave, cælum cui militat omne,
Quam trepidant Erebi ſedes; cui terra, fretumque
Vota, preceſque ferunt: noſtro tu Sancta labori
Sis præſens, operique tuo largita futuro
Præſidium, noſtræ veniens illabere menti,
Tu licet à noſtro ſpatiis ingentibus orbe
Diſiungare, ſuos quantum polus elevat ignes:
Non tamen humanos caſus oblita, tuumque
Nil pertæſa genus, vigili mortalia cura
Suſcipis, & lachrymæ tangunt tua pectora noſtræ.
Tu placidum terris ſidus, quod liberat omnes
A pelagi fervore rates, quod luce benigna
Saturni, Martiſque graves eliminat iras.
Tu nobis Helice, nobis Cynoſura; per altum
Te duce vela damus portus habitura ſecundos.
Tu mare, tu ventos, tu ſidera cuncta, Deumque
Concilias; tu tuta ſalus, tu pacis origo.
Tu commune bonum, generis tu gloria noſtri.
Huc ades: & cœptos præſenti numine curſus
Dirige, & infirmam rege per vada cærula puppim.

Idem ad eandem.

Ad ſuperos clamo, ſupplex & numina planctu
Sollicito: Divos in mea vota voco:
Sed te præcipuè, Divorum maxima Virgo,
Mitis in humanum quæ genus eſſe ſoles.
In nos magna tui ſunt experimenta favoris,
Et pietas omni jam tua nota loco eſt.
Erue nos cunctis igitur Regina periclis:
Et laceræ ſparſas collige navis opes.

Nec minus piè ad piiſſimam Virginem Jo. Damaſcenus loquitur, cùm ait : Invituperabilem, Deipara, ſpem tuam habens ſervabor; defenſionem tuam poſſidens ; per quam, ò pura, non timebo. Perſequar inimicos meos, & in fugam vertam; ſolam habens ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Et deprecor clamans tibi : Domina, ſalva me interceſſionibus tuis : & eleva me è tenebroſo ſomno ad tuam glorificationem, potentia ex te incarnati Dei.

Gregor. quoque Nazianzenus ita ad eandem cecinit.

Veneranda ò Virgo! caſta, feliciſſima!
Quanta Beata nunc Beatorum in polo,
Exuta quidquid fæcis humanæ, ſedes
Æternitatis pallio ornata, ut Dea
Habita, ſenectæ expers: ſupremo ex æthere
Benigna adeſto vocibus meis; preces
Admitte, Virgo ò inclita! hìc quando tibi
Verbi parenti, ſed ſupra modum tamen
Legemque ſolus inter omnes contigit
Honor. Ego fretus his, tibi me audentius
In verba ſupplex efferam: & ſuaviſſimo
Contextam ab horto, qua tuum exornam caput,
Coronam, ò Domina, proferam.

Vide infra Tit. Loca celebria, §. Aſpricollis, votum elegans V.C. Juſti Lipſii carmine etiam conceptum.

Huc refer ea, quæ paulo ante circa Imagines ejuſdem Virginis ſunt adducta; quæque deinceps adferentur.

PATROCINIUM B. MARIÆ, IN GENERALI
Præstitum Cultoribus Illius.

B. Dominicus Ordinis Fratrum Prædicatorum Inſtitutor, cùm more ſuo, precationi intentus mentem aliquando defixiſſet in cœlum; vidit ſublimem in aere Chriſtum Dominũ, cùm admirabili ſplendore majeſtatis, & magnitudinis ſuæ, regali ſolio conſidentem. Erat illi in vultu horrenda ſeveritas ; ira

ex oculis emicabat: manu tres, ut apparebat lanceas vibrabat, quibus orbem univerſum erat interempturus. Cùm autem inveniretur nemo, qui furori juſto ſe opponeret: glorioſa Virgo Mater advoluta genibus, & arctiſſimè amplexa filium rogat, ut hominum, quos ſuo ſanguine redemiſſet, caperetur miſericordia; Chriſto contrà infinitas cauſas juſtiſſimæ vindictæ, in perditiſſimam gentem mortalium ſummatim recenſente, ſubiicit amantiſſima filiorum Mater: duos ſe etiam habere ſervos, quorum laboribus, & induſtria flagitioſi revocari poſſint ad pœnitentiam, & ſimul cum dicto utrumque offert alterum Dominicum ; Franciſcum alterum. Placatus eſt maternis precibus Dominus, & ad eam rem accipere ſe oſtendit inſigne illud par bellatorum. *D. Antonin. p. 3. Chron. Tit. 23. c. Boſius de ſignis Eccl. l. 9 c. 10.*

Aliud narrat haud abſimile D. Antoninus. Cùm alio tempore percenſuiſſet Deus hominum facta, inventis bonis paucis, ſceleratorum immani numero: comprehenſum, velut manu, totum orbem inſtar leviſſimæ paleæ concluſiſſe viſus eſt, quaſi in barathrum præcipitaturus ; ſimulque vocem illam terribilem miſiſſe: Cùm judicatur, exeat condemnatus. Qua voce conterritus ille, qui ſpectabat, velut emerſus è ſomno clamat ad B. Virginem: Sancta Maria, ſuccurre miſeris: Hanc igitur vidit impetrare à filio tam gravis ſententiæ dilationem, dum concionatores, quos illa per orbem dimiſerat, ſuum officium expleſſent. Quàm ſæpè aliàs accidiſſe putamus, ut immundus jam ab iræ divinæ turbine in ſcopulos juſtiſſimæ vindictæ impingendus, ab illa ſit liberatus? *Antoninus ibid.*

Cùm Cæſar Juſtinianus rerum potiretur, Theophilus quidam oppido Ciliciæ Adana Oeconomus, ſive, ut alii vertunt, Archidiaconus Eccleſiæ fuit, multis quidem ille gratus, & Epiſcopali munere, quod tamen conſtanter detrectavit, dignus exiſtimatus. Qui ab æmulis immeritò accuſatus, de officio Oeconomiæ dejectus, in eam animi impotentiam, adeòque impietatem devenit, ut hortatori Mago Judæo morem gerens, Chriſtum Dei filium, ac matrem ejus Mariam data ſyngrapha turpiſſimè abnegaret, ſeque totum imperio Satanæ, qui ſe videndum obtulerat, traderet, atque manciparet. Quid hic faceret miſer tam nefarii criminis jam ſibi conſcius? Totus animo perturbatus, ut nuſquam ferè poſſet conſiſtere, cùm irato Deo ſe dæmonis eſſe mancipium cogitaret, mutato conſilio, tandem ad ſanctiſſimam Dei Matrem ſibi confugiendum duxit, ac templum ei ſacrum petiit, in quo ſuas preces, ac ſupplicationes cum multa jejunatione conjunctas, noctes, ac dies indefeſsè conſumpſit, magnumque verè pœnitentiæ ſpecimen edere cœpit. Quòd ſi Theophilum ipſum Mariæ ſupplicantem libet audire, his quidem verbis, ut legimus, illam compellavit: Domina mea benedicta, & defenſio generis humani, portus, & protectio eorum, qui ad te confugiunt: Scio, ò Domina mea Deiparens, quòd te valdè offenderim, & ex te natum Deum noſtrum, nec ſum dignus conſequi miſericordiam. Ac rurſus: Quomodo audebo, Domina mea benedicta, ego, qui ſum indignus & miſer, aperire labra, cùm os habeam ſordidum, & luto inquinatum? Nec multò poſt: Cùm hac intenſa, & quæ ex tota ſit anima, confeſſione, rogo, ſanctiſſima Domina, offer me Chriſto, qui natus eſt ex te ſancta, & mundo deſiderata Deiparente, & ne abomineris me infelicem, ne deſpicias preces meas peccatoris, qui fuit correptus à maligno inimico. Pergit interim anxius homo preces triſtiſſimas fundere, faciem ſuam verberare, ſolo adhærere, templum Virginis, in quo iſthæc fiebant, rigare lachrymis, in jejunio perſeverare, tum in propoſitam imaginem, quæ ſe illic offerebat venerandæ Virginis, æſtuans intueri : Te, inquit, habeo poſt Deum protectionem, & defenſionem, Domina mea benedicta; ad tuum intuens auxilium, & gubernationem, non faciam irrita ea, quæ tibi ſum pollicitus. Scio enim, ſcio, ò benedicta! poſt Deum non eſſe aliam hominum defenſionem, niſi te ſolam, ò Deiparens! Quis enim, ò Domina mea! ſperavit in te, & pudore eſt affectus? Aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Reverè nullus unquam. Quid multis? Theophilus quadraginta dies in hoc Mariæ templo perdurans, nullumque orandi, & plorandi, lamentandique finem faciens (tantus in illo fervor erat pœnitentiæ) demùm opitulante ſacra Virgine ſuam ſcriptam, & conſignatam diabolo ſyngrapham, qua Chriſtianiſmum abjuraverat, (mirabile dictu) recepit, in Dei gratiam rediit, peccatum eſt ultrò confeſſus, & poſt pœnitentiæ fructus dignos editos etiam Eccleſiæ per Epiſcopum publicè reconciliatus, eò demum pervenit, ut ob vitam ſanctè actam Catalogo Sanctorum ſit adſcriptus, ac ſolennis ejus memoria quarto Februarii quotannis in Eccleſia celebretur. Tantùm valuit Mariæ apud Deum petita, & obtenta interceſſio. *Ex Eutychiano Patriar. Conſtantinop. Sim. Metaphraſt. P. Damianus Serm. 1. de nativit. B. Virg.*

Tempore Arcadii, & Honorii Imper. Cyrillus ſanctiſſimus Alexandriæ Archiepiſcopus, conſobrinus Theophili, & aliquamdiù præſumptioni ſerviens, ut homo, ac Theophilum avunculum ſequens, de Chryſoſtomo malè & ſentiebat, & loquebatur. Quia autem fervens hoc erat ſtudium pugnandi, non à notitia veri, neque tamen ab invidia aut diabolica pervicacia, ortum, dignus eſt habitus, qui in viam revocaretur, myſtica quadam patefactione. Imaginatus enim eſt Cyrillus, ſe eſſe quodam terribili, ac pulcherrimo in loco, ubi multitudo Angelorum Genitrici Dei adſtaret, propeque eam Chryſoſtomus. Se, cùm accedere conaretur, ab eo repelli: Matrem autem Dei intercedere pro ſe, & poſcere, ut admittatur : quia non parum propter ipſam laboris pertuliſſet, dum nomen Dei Genitricis vindicaret. Poſtquam ad ſe rediit Cyrillus, ſui ipſius pœnitentia ductus, in omnibus Chryſoſtomum exindè eſt ſequutus. *Nicephor. lib. 14. cap. 28. Baron. tom. 5. anno 412.*

BENEFICIA INTERCESSIONE B. VIRGINIS
præſtita illis, qui eam devotè colunt.

Spiritualia.

In *Franciſcanis Annalibus* legimus, Leoni, qui unus fuit ex S. Franciſci familiaribus, quidem intimus, hujuſmodi aliquando viſionem objectam. Erat magna planities, & in ea ſpecies quædam judicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo, Angelorum tubæ perſonabant; denique binæ ſcalæ è ſummo cœlo uſque ad terram demiſſę, altera candido colore, altera purpureo. Huic autem purpureæ imminens viſebatur ex alto Chriſtus, vultus habitu ſevero, ac ſubirato. At Franciſcus paulò infra ipſum fratres ſuos evocabat, ut aſcenderent fidenter, Dominum ita velle, eoſque invitare. Cùm autem illi ſe per ſcalas audenter efferrent, alius de tertio, alius de quarto, vel de decimo, alii de ſuperioribus, ac penè jam ultimis gradibus procidebant. Qua ſuorum clade magnoperè commotus B. Franciſcus, eos voce magna admonuit, ut ad ſcalam alteram candidam accurrerent, illic nihil fore periculi. Itaque cùm ad eam acceſſiſſent, Mariam ei incumbentem vident, quæ eos blandiſſimè intuens ſtudioſè etiam juvaret, exciperetque ſingulos, ita ut nullo negotio ad unum omnes in cœlum evaſerint. *Refert Hier. Platus de bono ſtatu Relig. cap. 34.*

Hermanni cognomento Contracti doctrina eo mirabilior fuit, quod eam inſigni miraculo adeptus ſit. Ita enim ſcriptum eſt, hunc in Svevia ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuiſſe, atque ob eam cauſam nomen illud, quod diximus, Contracti accepiſſe. Quare cùm Monachus factus eſſet, multis precibus B. Virginem rogare inſtitit, ut ipſum eo morbo liberaret. Illa verò clara luce ſe ei viſendam præbens, optionem obtulit, utrùm è duobus mallet, ſanuſne fieri, ſed ut erat rudis, & doctus permanere, an perſeverare in morbo, & omnibus ſcientiis inſignis evadere. Cùm autem Hermannus, ut debebat, hoc poſterius prætuliſſet, ab eo tempore mirabiles progreſſus in omni genere literarum facere cœpit, adeò ut neminem in his ſuperiorem, vix etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam ita calleret, ac ſi in iis natus eſſet. *Plat. lib. 5. cap. 52. ibid.*

Nec prætermittam Rupertum Germanum, eumque Abbatem Tuitienſem, qui cùm primùm ingenio ſe tardum, & ad ſacra diſcenda parùm idoneum cerneret, opem Sacræ Virginis ſingulari ſtudio imploravit, ut hanc naturæ difficultatem ſuperare, ac felices in ſacris literis progreſſus facere poſſet. Cui Virgo mater nocte apparens promittit, & præſtat, quod ille tantopere cupiebat, tam excellenti deinde gratia, ſcientiaque illuſtratus, ut inter Germanos Theologos eminuerit, ac ſimilẽ ætas illa non tulerit ; qui & vivus, & mortuus multis claruit miraculis, ſicut Trithemius apertè teſtatur. Nec ingratus ille fuiſſe videtur Virgini, quam in ſuis monumentis libenter extollit; prœſertim in commentarios ejus in Cantica, & opus de divinis officiis conſulamus. *Idem ibid. Caniſ. l. 5. de B. Virg. c. 20.*

Multò igitur ille prudentior, cautiorq; fuit, quàm Ugo Magdeburgenſis, qui & ipſe rudis indocilis in ſchola puer Mariam admodum beneficam ſenſerat, ita ut ſuis precibus ad illam anxiè fuſis magnam ingenii lucem, ac doctrinæ laudem fuerit conſecutus. Prædixerat autem illi Virgo mater, quòd non ſolùm ad eruditionem, ſed etiam ad Epiſcopale munus progreſſurus eſſet, ſedulòq; monuerat, ne hujuſmodi donis ac-